

1776


V
B
J
C
19482

Act.

ACTA
CONVENTUUM
ET
SYNODORUM
IN
MAJORI POLONIA
A
DISSIDENTIBUS
CELEBRATARUM.

EDIDIT

Jo. Jac. Scheidemantel Regis Daniae ab aula & Legationibus Concionator, Antistes Sacrorum apud Coetum Evangelicum Varsav. Sodal. honorar. Societ. Lat. Univers. Jenens.



VRATISLAVIAE,
Sumptibus Wilhelmi Gottlieb Korn, Bibliopolae.

SYNODO
A
DISSIDENTIBUS
LESNAE

celebratae

Ejusque Praeſidibus & Rectoribus, cum Saecularibus tum Eccleſiaſticis

PATRONIS ET DOMINIS SUIS
colendiſſimis.







Consecratum venio Vobis, *Patres Divinitus conscripti, hanc oppellam* Acta Conventuum & Synodorum in Majori Polonia Saeculo praeterito celebratarum, *exhibentem; quibus oblivionis pulvere, quo sepulta jacebant excusso, & alias Transactiones Synodales non ignotas quidem prorsus, attamen pro suo momento haud satis vul-*

gatas, hic adjunxisse juvat, quo Vobis sint publico documento & loco tesserae pietatis gratitudinisque meae pro insigni Vestra benevolentia, qua ducti nuper nomen meum decreto Synodali inter egregios excellentissimosque illos nuncupare voluistis Viros, quorum consiliis sanctior Vestra res publica, quo rite, scienter prudenterque constituatur, commissa est. Quas equidem partes longe gravissimas Fratrem meum in condendo Codice Legum regendae Civitati Dissidentium Sacrae dicato ex asse expleturum polliceor. Addidit etiam

pon-

pondus ſane maximum meae bene de Vobis merendi voluntati ipſa recte facti conſcientia, miſſis quibuslibet aliis mentem meam inde revocantibus cauſis, divino iſto conſtanter excitata oraculo: Qui bonum, quod facere poteſt, omittit, peccatum committit. Ecquis vero prudens rerum noſtrarum aeſtimator inſignem & multifariam utilitatem horum monumentorum in dubitationem unquam revocare poterit? Tradunt enim nobis venturaeque poſteritati cum interiorem tum externam Civitatis Chriſtianae hiſtoriam, una cum

cum fatis prosperis & adversis Dissidentium; referunt nativam faciem Ecclesiae, geniumque praeteriti saeculi. Describunt mores, instituta, leges, & hierarchiam Majorum, quoque animo erga Religionem, Concives, charam Patriam & associationem fraternam adfecti fuerint testantur: imo & Civilis vitae rationes discrimina, ac publicarum vicissitudinum causas commonstrant, consiliorum non minus humanorum variam sortem, quaeque facienda omittendave fuissent prudentiae retrospicientis oculo, experientia du-

duce, fideliter exponunt. Denique inter tot & maximas rerum conversiones; fortunae, humanaeque potentiae ludibria, ad summi numinis sublimiorem gubernationem, quae divinum verum semper conservat, propagat atque tuetur, mortalibus revelandam mirifice faciunt. Hinc nec temeritas, nec levitas dicetur esse, me haec anecdota ab interitu vindicata, Vobis optimi Patres nuncupasse, ad quos tanquam Vestrae res jure meritoque nunc redire debent. In calce historiam Ecclesiae, quae Slavaticii in Lithuania adhuc floret, invenie-

tis satis memorabilem. Mihi enim vel ipsa haec Ecclesiarum nostrarum fragmenta, tanquam ruinae magnifici olim & ora hominum undique in se convertentis aedificii, curatius ac vulgo fit, observanda suspiciendaque esse videntur. Deus opt. max. porro adsit piis Vestris moliminibus! Adsint Vobis summa Numina Prudentiae, Fidei, Aequitatis atque Concordiae! Haec vota vivens semper coram Deo faciam, moriensque mecum feram.

Scrib. Varsaviae die II. Febr.
M.D.CC.LXXVI.

HI-



HISTORIA
ECCLESIÆ NEOBRUCHDORFFENSIS,
ALIAS
SLAVATYCENSIS.



Ex aureo Veritatis tripode profluxiſſe deſcriptionem illam Hiſtoriae Tullianam: Hiſtoria eſt teſtis temporum, Lux veritatis, Vita memoriae, Magiſtra vitae, Nuntia vetuſtatis (Lib. II. de Oratore pag. 202. Edit Genev. 1660.) experientia calculo ſuo confirmat. Ubicunque enim in vita humana tot atque tot viciſſitudinibus obnoxia deficit Hiſtoria, illic, nil niſi aniles fabulas, tenebras mendaciorum, immo ipſam rerum ante geſtarum oblivionem, ni dubitari perſuaſiſſimum habeas. Perpende & inter

ter tot hujus rei irrefragabilia documenta tempus ante & poſt Diluvianum! Quid nam certi extra S. S. θεοπνεύςȣ Scripturae Pandectas apud Autores profanos de tempore illo invenies? Vel enim plane hic muti ſunt, vel ſomnia & fabulas varias proferunt, prout vel tritiſſima illa temporis apud Hiſtoricos diſtinctio, dum tempus in ἄδηλον μυθικὸν & ἱϛορικόν partiuntur, Sole meridiano clarius commonſtrat.

Certo certius cum proin hoc exiſtat allaborandum cunctis etiam Muneri Eccleſiaſtico praepoſitis, quo a teredine oblivionis mediante calamo vindicent ea omnia, quae durante Miniſterio ſuo evenere. Huic ergo brevis haec opella, cui ſimul ad majorem Dei gloriam, in gratiam gratae poſteritatis brevem hanc rerum ante geſtarum recenſionem praelibabimus.

Annus, quo fundamenta jacta ſunt ad Eccleſiam Orthodoxam, hic ſoli Deo trinuni colligendam eſt famigeratiſſimus ille primus Jubilaeus Lutheranus, quo Eccleſia unice vero Deo O. M. ob excitatum ante ſeculum Theandrum ob repurgatum Miniſterii illis a ſcoriis traditionum humanarum cultum Divinum, & ob conſervatum hoc Divinum

depoſitum, grates ferventiſſimas maximo cum gaudio exſolvit. Hoc eſt Anno nempe 1617. jacta ſunt fundamenta ad Eccleſiam Lutheranam hic loci colligendam. Illuſtriſſimus ſcilicet & Magnificus Dominus Raphaël a Leſzno Leſzczynski t. t. Caſtellaneus Viſlicenſis, poſtea Palatinus Belczenſis, quem Stanislaus Kobierzycki Libr. I. Hiſtor. Wladislai Principem Calvini quidem ſequacem, ſumme nihilominus laudat probitatis Civem, Patriaeque ſtudentem commodis Conf. Hartknoch de Republica Polon. p. 347. ut & Conjux ejus lectiſſima Illuſtriſſima Domina, Anna a Radzimir Leſzczynska cupientes deſertum & ſterilem hunc locum hominibus replere, Colonias deduxere ex Inſulis Pruſſiae quatuordecim ſcilicet Colonos cum Familiis ſuis in primo Privilegio die 3tia Junii 1617. Wlodaviae dato, nominatos nempe, Paulum Brül, Chriſtophorum Mamrau, Bartholomaeum Bodryk, Eliam Horn, Joachim. Aſmann, Georgium Otto, Joachim. Ties, Jacob Mamrau, George Sillentin, Petrum Kelt, Joſ. Kuntz, Cornelium Kelt, Gregorium Olbrecht, Wilhelm Witt in hunc locum arceſſivere, hisce agros trans fluuium Bug, lignis ac feris obſitos dato ipſis libertatis ab omnibus oneribus ſexennio ad ex-

co-

colendum conceſſere, appromiſſum hiſce Colonis, ſimul liberum Religionis Exercitium, item libertas Templi erigendi, Miniſtri Eccleſiae vocandi, Paedagogi habendi, & quae aliae ſunt ſplendidae promiſſiones in Privilegio primo, quod tamen injuria temporum periit, exiſtenti tantum adhucdum apographo de Anno 1633. die 25. Febr. extradito Anno 1617. gratioſiſſime communicati, confirmatur hoc Privilegium in omnibus Punctis & Clauſulis peculiari ſcripta manu & Sigillo Illuſtr. hujus Palatini glorioſiſſimae memoriae: quo nempe primus annuus cenſus a Colonis hisce Domino ſuo exſolutus. Hic ergo Illuſtriſſimus Palatinus, cum Illuſtriſſima Conjuge ſua tanquam Fundatores Vineae Domini in hoc loco a grata poſteritate ſumma laude venerandi. Hi ſunt Coloni illi, qui relictis & divenditis agris & focis patriis, primi huc ſe tranſtulere, ac ſic erigendae gloriae Dei promotores fuere, quorum nomen floreſcat! His ergo Fundatoribus & Promotoribus ſtetit tandem res divina, hic loci Illuſtriſſimus Palatinus ligna & Molitores ad exſtruendum Templum & Aedes Parochiales liberaliſſime conceſſit. Coloni autem conſilio & opere ſuo id effecere, ut Aedificia haec ad finem optatum pervenire potuerint; Templum erectum

fuit




fuit in colle verſus occaſum reſpectu Aedium Parochialium ſito, Aedes autem in loco hoc, ubi hodiernum exiſtunt. Erecta fuit etiam etiam circa Templum Turris, in qua Campana ad Coetum convocandum reponepatur. Efflorescebat proin Cultus Divinus ſub umbra alarum divinarum, ut & ſub praeſidio Haeredis gratioſiſſimi. Verum, proh dolor! quae haec fortunae inconſtantia! Celebratur hodienum publicis ſcriptis funeſtiſſimum bellum & Rebellione Coſacocorum, Duce ipſorum Bogdano Chmielnick, ante obitum Wladislai Regis Poloniae Anno 1647. exortum, Czaplinski Subpraefectus Territorii Czecherinenſis orta lite de agro quodam cum Duce Coſacorum indignis modis tractavit, Chmielnicium ſuccendit, nempe molas ejus igne, Filium Ducis vulneribus afflixit, Uxor Chmielnicii ſtuprata, ira hinc efferbuit, cum Coſacis Chmielnicki, invaſit Copiis ſuis Poloniam ſuccedente morte Regis Wladislai Anno 1648. victricia arma ubique circumtulit, caeſus Exercitus Polonicus die 21. Maji Anno 1648. capti militiae Duces Patocki & Catinocius Vid. Beckmann. H. & Hartknnoch. Reip. Pol. Recens electus & coronatus Rex Johannes Caſimirus oppoſuit his Rebellibus Exercitum, qui ex 50000. Militibus conflatus erat, verum fuſus hic, 10000. hominum proſtrati,

reliqui in fugam conjecti. Coactus proin Rex Anno 1649. pacem cum Cosacis tanquam libera aliqua Republica inire. Non diu tamen perstitit haec pax, Anno 1650. Chmielnicki rursum classicum ad bellum intonavit, omniaque rapinis, igne & ferro implevit, donec tandem Anno 1651. die 20. Junii ipse ut & Confoederatus ejus Chanus Tartarorum ab Exercitu Regio praelio superati & Pax exoptata reddita, quamvis quoad causam Victoriae Beckmannus disputet, quippe ille gratitudini Chani eam adscribit, hic autem fortitudini militum maxime germanorum, vid. Beckmann Hist: p.697.

Hoc ergo bellum fatale erat etiam Aedi Divinae hic loci ut & Incolis. Exusta nempe illa funditus, Campana ablata a Cosacis Templo Russorum, (qui ex alieno liberales fuere) donata, ubi hodienum reperitur. Incolae autem, qui desertis & speluncis sese inclusere, astu ex illis evocati promissa ipsis vita sub conditione ejurationis Doctrinae Evangelicae & assumtionis errorum illorum. Qui ergo his promissis fidem habuerunt, abjuraverunt in Templo Russorum Veritatem Evangelicam, quae coactio ad fidem apud Cosacos usitatissima. Hartknoch Lib. p. 845. §. 16. Male tamen cessit ipsis

haec



haec abjuratio, trucidati quippe crudelissime numero LXX. utriusque sexus, inter quos & liberi in civitate Slavaticensi a Cosacis accusantibus hos post discessum suum rursus Religionem pristinam, ideoque indignos, qui vivant, reassumturos. Qui autem promissis his semel inescari passi non sunt, sed potius in desertis & speluncis permanserunt, illis tandem Deus O. M, Solem laetitiae exoriri jussit. Pulsi scilicet hostes hi immanissimi. Pax exoptatissima reddita, reliquiae Colonorum hujus loci congregatae, puniti proditores Rutheni morte, qui in facultates & vitam Nostratium apud Cosacos instigabant. Non concessit tamen paucitas & paupertas Colonorum hujus loci, ut novam Aedem in loco pristino reaedificarent. Exstruxere proin saltem casulam quandam haud procul aedibus Parochialibus, ubi hodiedum Templum reperitur, quo adversus injurias aëris se taliter qualiter munire possent, sedet ipsis haec firma mens successu temporis se in loco pristino Deo volente aliud Templum erecturos. Verum eventus docuit facilius esse hic terrarum aliquid mente concipere, quam mente conceptum effectui dare. Licet accrescebat Numerus Colonorum horum, qui ex Prussia venientes, sedes suas hic figebant, non permisere-

re-

re tamen Conſtitutiones Regni exſtrúctionem novi Templi. Caſula ergo illa, quae & aliquod Annos tantum erecta erat, duravit ultra annum 90. Saeculi praeteriti cum haec ruinam jam jam minitaretur, ex conſilio Illuſtriſſimae Dominae Przazmowska Vexilliferae Curiae Regni Haeredis bonorum horum tempore plur. Rever. Domini Oloff Templum modernum, ita, ut Caſula nominata, illo includeretur, erigebatur; & quidem dimidia pars tantum illius quoad ortum Solis, altera pars tempore Plur. Rever. Domini Grabowski tandem erecta, quae ad Occaſum ſpectat, quod & Diſtichon ſupra januam Templi ligno inciſum indicat:

Coepta Oloff, Grabowski extremo cardine clauſit,
Concio queis floret limina ſacra Dei.

Ratio conſilii hujus laudabiliſſimi erat, quo ſe tutari poſſet contra inſultus hoſtium. Haeres Illuſtriſſima, qui ſi vociferari vellent, Haeres in multa audere exſtructione novorum Templorum, tum ſe negaturam promiſit clementiſſime, non enim hoc pro nova erectione ſed ſaltem reparatione haberi volebat. Cui conſilio Deus T. O. M. etiam gratia ſua benigniſſime adfuit, cui ſit laus & gloria in infinita ſecula! Illuſtriſſimae au-

tem

tem Dominae Przazmowska nomini ſerta & corollas vincire grata poſteritas haud intermittet. Nec fraudandus laude ſua Illuſtriſſimus Dominus Wladislaus a Leſzno Leſzczynski Succammerarius Breſſenſis; Hic enim Comes laudatiſſimus, audita miſeria Incolarum hujus loci, non intermitit litteris humanitate ac clementia pleniſſimis Anno 1651. die 5: Julii in Baranow ſcriptis (quorum αὐτογραφον manu ac Sigillo praelaudati Comitis munitum hodienum aſſervatur,) hoſce ſolari ipſisque omnem protectionem appromittere, id quod ipſo actu etiam praeſtitit. Idem fecit ante nominata Domina Przazmowska, quae antea in Matrimonio erat Illuſtriſſimi Domini Potocki Generalis Podoliae. Ille enim gratioſiſſime confirmavit Privilegium a primo Fundatore Illuſtriſſimo Domino Raphaële Leſzczynski glorioſiſſimae memoriae indigenis hujus loci conceſſum, quod factum Anno 1678. die 20. Martii in Jableczna. Cujus Confirmationis αὐτογραφον itidem ſupereſt laudandus hic & Illuſtriſſimus Dominus Andreas a Leſzno Leſzczynski Succammerarii ante nominati Filius Capitaneus Dubenenſis. Is enim non tantum Privilegium vetus confirmavit, ſed & ligna caedere ad Templum, quod extruere Incolae intendebant, & ad ſuſtentationem

meliorem Paſtoris hujus loci quadraginta quinque jugera agri (cum antea tantum quatuor jugera legata eſſent) liberaliſſime conceſſit, prout id patet ex αὐτογραφῳ die 18. Octobr. 1670. in Kuzawska dato. Confirmavit haec omnia peculiari Privilegio Celſiſſimus Princeps Carolus Stanislaus Radziwill, Dux Olicae Nieſwiez Birzae, Dubincae Sluck &c. Magnus Cancellarius M.D. Lith. Princeps omne encomiorum genus longiſſime praetergreſſus, cujus memoria in Benedictione, id quod factum Anno 1712. die 22. Septemb. quae omnia in ſuo vigore conſervantur in hunc uſque diem, etiam a Celſiſſima Principe Domina Anna Radziwill Beatiſſimi Principis Vidua derelicta, pro qua gratia Zioni Domini exhibita Deus T. O. M. Domui huic Celſiſſimae Protector ſit & merces magna juxta promiſſionem Abrahae factam Geneſ. 25. v, 1. His ergo principiis ſtetit Vinea Domini in hoc loco, hoc ſepimento hactenus munita oculo Domini ἀκοιμήτῳ ſemper ſuper ea vigilante Patronosque gratioſiſſimos ipſi exſuſcitante, cui laus & Gloria in ſempiterna ſecula.

Illi autem, qui ad ſalutaria paſcua Verbum divinum Coetum ſibi concreditum hic loci manuducebant, ipſique ſermone & vita praeluce-

bant,

bant, ordine fuere ſequentes: Primus fuit Jonas Columbus Saxonia oriundus. Quo tempore huc vocatus fuerit, ob defectum Hiſtoriae non patet, quemadmodum etiam hoc non conſtat, num ipſe primus omnium hic fuerit. Probabile tamen, per aliquot annos eum hic Coetui praefuiſſe. Hic enim Filiam in legitimo matrimonio ſuſcepit, ex qua Nepos ipſi M. Joh. Chriſtoph Teuber Archi-Presbyter Tilſenſis prognatus, teſtante id ipſum Neſtore hujus ſeculi Joh. Richardo Fehr, Conſiliario S. R. M. Pruſſiae ſplendidiſſimo, qui Anno 1718. ſeculi hujus die 12. Aprilis Regiomonti Anno aetatis ſuae nonageſimo quinto beatiſſime fatis ceſſit, in litteris ad me Anno 1716. die 12. Martii Regiomonto Vengroviam transmiſſis. Coactus hic ob truculentam inſolentiam hoſtium, nempe Coſacorum ſolum mutare, Vocationem tamen mox adeptus a Coetu Warſavienſi, qui Vengroviae ex ſpeciali Munificentia Celſiſſimi Principis Domini Boguslai Radziwill glorioſiſſimae memoriae conceſſione exercendi Religionem Evangelico - Lutheranam in Templo Reformato potitus Anno 1650. Hoc ipſo ergo Anno, Dominica I. Adventus praelaudatus Jonas Columbus concionem primam in Templo nominato habuit. In quo officio etiam confirmatus a Celſiſſima Prin-

cipe Radziwillowa Anno 1651. die 5. April. peculiari Privilegio Warſavienſibus extradito. Succeſſit huic Erdmann Lehmann, quo Anno hic vocatus, ignoratur. Probabile tamen, ſtatim poſt diſceſſum Columbi eum vocatum eſſe, idque Anno 1650. namque Feſto Michaëlis Generoſiſſimus Dominus Adam Suchodolski Privilegium dedit coetui Lublinenſi, quo ipſis conceditur liberum Orthodoxae Religionis Exercitium in Templo recens Piaſecii exſtructo, probabile ergo, coetum hac in re ſegnem haud fuiſſe, ſed quanto citius de Succeſſore curam geſſiſſe, quia antea ad cultum publicum exercendum Slaviticium ſe conferre eum oportebat. Certum eſt Anno 1670. eundem huic Coetui praefuiſſe, quod patet ex αὐτογράφῳ Illuſtriſſimi Andreas Leſzczynski Anno eodem ſcripto, ubi nomen Lehmann exſtat. Inſerviit hic Verbo Divino & Sacramentis etiam coetui Warſavienſi, qui ob perſecutiones maximas poſt obitum Paſtoris ſui Tyraei peculiarem Paſtorem ſuſtentare Vengroviae capaces non erant. Vocabant ergo Lehmannum Vengroviam binis vicibus quotannis, qui defectum hunc ſupplere tenebatur. Vixit hic itidem in matrimonio, contulit ſe tandem Gedanum. Poſt Lehmannum vacavit Paſtoratus hic duobus annis, partim ob perſe-

ſecutiones varias easque graviſſimas, vocabatur proin huc & Pioſecium Paſtor Vengrovienſis Roſentreter, qui animas ſub onere crucis ac peccatorum gementes Verbo Divino & Sacramentis refocillavit efficaciſſime. Apparuit tandem poſt nubila Phoebus. Vocatus huc Salomon Hermſon, qui in Pruſſia Brandenburgica jam Presbyteri, ſi non plane Archi-Presbyteri munere functus. Hoc Autore Imago Chriſti crucifixi in linteo picta Templo Piaſecenſi illata ut & Altare ibidem erectum, cui Imagini ſequentia Diſticha aureo picto ſubſcripta:

Ceu coram videas ſic explicat illud Imago
Hic Chriſti Lacrymas, Vulnera, Probra, Crucem,
Quem non haec moveant optatae facta ſalutis,
Durius hunc ſaxo pectus habere putem.

Ob hoc tamen factum laudabiliſſimum maximus a Patrono loci perpeſſus adverſitates, qui ipſum ad Epiſcopum Cracovienſem citavit, ubi & cauſa cecidit, verum Protectione clementiſſimi Regis Poloniae glorioſiſſimi Joannis Tertii gaudens feliciſſime haec adverſa omnia ſuperavit, immo quod majus peculiare Privilegium a Rege Sereniſſimo ad Templum novum Markuſzoviae,



quae civitas Regia tribus milliaribus Lublino diſtat, erigendum ſortitus, cui Privilegio innixus Markuskoviam ac cum Familia ſe transtulit, verum eventus propoſito non reſpondit. Morte ſcilicet illic praeventus, rem effectui dare haud potuit. Corpus ejus exanime Piaſecii ſepultum, ubi lapis ſepulchralis prope altare ſequenti Epigraphe viſitur:

Piae memoriae Parentibus Cariſſimis Plur. Reverendo Salomoni Hermſon Paſtori hujus Eccleſiae quondam vigilantiſſimo, Anno M. D. C. LXXXIV. d. Nov. & Caſtiſſimae Mariae Hoppiae Anno M. D C. LXXXV. die I. Martii mort. in Chriſto Jeſu hic quieſcentibus. Liberi poſuere.

Tempore hujus Calix argenteus cum Monſtrantia, prout dicitur, inauratus a liberali manu quadam, cujus nomen ignoratur, Deo autem notiſſimum, donatus. Habitavit hic Paſtor Venerandus pie denatus, etiam Slavaticii in ipſa civitate, quorſum ob ſolitudinem loci hujus ſe transportaverat, ad devotiones habendas interim huc veniebat, quanquam in Templo civitatenſi etiam conciones habebat. maxime Hoſpitibus Lublinenſibus praeſentibus. Celebre nomen Hermſonii etiam ob Medicinam, quam ad un-



unguem callebat & exercebat, Liberi & Nepotes ejus hodienum per Dei gratiam florent, inter quos mihi maxime laudandus Filiut ipſius ὁμώνυμος plur. Rever. Dn. Salomon Hermſon, Miniſter Verbi Divini Marienburgenſis meritiſſimus, quem Deus ut & reliquos Filios & Filias, Nepotes & Neptes imo Pronepotes & Proneptes ſervet diutiſſime. Quartus ordine fuit N. Radoni provectae jam aetatis Vir. Hic per aliquot annos hic ſubſtitit, quem non Lublinenſis ſed coetus hujus loci vocaverat. Oloffo interim Piaſecii, quorſum Vengroviam aliquoties vocabatur, Lublinenſibus Verbo divino inſervienti; ſubminiſtrabantur huic ex Aula Illuſtriſſimae Dominae Przazmowska victualia omnis generis ipſe nec ſerente nec metente; miſera fata ejus erant, quod Uxor ejus lumine oculorum ſuperato morbo graviſſimo orbabatur. Dimiſſus tandem a coetu ſuo Thorunium per Incolas hujus loci transvectus. Quintus fuit Martinus Oloff, vocatus hic Anno 1690. teſtante id ipſum manu ipſius propria, & quidem ante feſtum Paſchatis, quia Dominica Quaſimodogeniti dies erat 2. April. acceſſoriam demum Concionem Dominica IV. poſt Trinit. hic loci habuit. Praefuit antea Eccleſiae Vengrovienſi, & quidem ab Anno 1677. ita tamen, ut & hic ac-

cepta vocatione Sacris litaret, quod patet ex Matricula ab ipso adornata, ubi testatur Anno 1686. die 20 Nov. duo paria Sponsorum se copulasse, & d. 21. Nov. erat dies Jovis, Filiam Mich. Papke se baptizasse. Hujus curis intercedentibus, ut supra jam monitum dimidia pars Templi reaedificata, hujus curis pecunia etiam collecta, partim Lublinii, qui centum florenos, partim Gedani, unde per David von Gruben 183. fl. 10 gr. transmissi donavere, partim etiam Biallae, partim a Colonis hujus loci hac ratione Aedes cultui Divino dicata, & Aedes Parochiales quadantenus reparari potuerint. Altissimi sub praesidio varia itinera absolvit in officio suo Pastor hic vigilantissimus. Ille enim Leopoli in Wielkanoc, Cracoviae, Cameneci Verbum Divinum annunciavit & Sacramenta administravit Anno 1694. Aestate Thorunium abiit, ubi Vocationem ad Templum Divi Georgii adeptus. Deinde ad Aedem B. Mariae promotus, ubi beate ante aliquot annos obiit, Liberis ejus & Nepotibus per Dei gratiam florentibus. Inter quos numerandus Filius ejus haud degener plurimum Rever. Dominus Ephraim Oloff, qui antea Elbingae Ministerio Ecclesiastico, dein Thorunii ad Divae Mariae functus per Decretum Anno 1724. funestissimum illud ac crudelissimum quod

Tho-

Thorunio Eccleſiaeque Dei illud loci tam fatale ſolum mutare coactus, cui tamen propediem Dominus providebit, & proviſit.

Sextus ordine eſt Andreas Grabowski Paſtor, is antea erat Vengrovienſis Feſto Michaelis Anno 1694. pavit Verbo Dei & Sacramentis Piaſecii coetum Lublinenſem Anno 1695. Tandem potitus Vocatione a coetu hoc combinato. Hic Paſtor curavit erigi alteram partem Domus Divinae in hoc loco, quod & antea jam dictum. Itinera itidem varia accepta Vocatione ſuſcepit. Tandem Anno 1702. Hieme in Pruſſiam ſe contulit, ubi etiam Paſtoratus Neidenburgenſis ipſi concreditus.

Secutus hunc ſeptimus, Philippus Fork Thorunio Boruſſus, Anno 1702. Feſto Pentecoſtes officium ſuum aggreſſus, cui etiam maſcule, abſolutis variis itineribus maxime Camenecium in Podolia praefuit. Devoratis tandem variis adverſitatibus tempore belli Suecici, quo tota ferme Polonia conflagravit, Vilnam accepta Vocatione Anno 1707: poſt Feſtum Paſchatis abiit. Poſt abitum ejus Feſto Trinitatis & ſequente Dominica plur. Reverendus Dominus Jacobus Surminski Paſtor Vengrovienſis in Templo Piaſe-

censi cultum publicum divinum administravit. Festo Michaëlis tandem Concionem Accessoriam Piasecii habuit Mathias Waschetta, qui ordine octavus erat, is antea Concionator Supremus castrensis inter Saxones, & quidem Anno 1704. Impetrata dein dimissione sua Anno 1707. Festo Michaëlis ut monitum, officium suum aggressus Piasecii Dominica III. Adventus hic loci Anno 1709. maximum infortunium Aedibus Parochialibus circa Festum Paschatis obtigit nocte dormientibus cunctis, ignis in Aedibus prorupit, ignotum quomodo aut quo Auctore exustae hae plane, ipse Dominus Pastor vix fenestra cum domesticis evasit, omnem Suppellectilem, librariam & domesticam ignis absumpsit. Eluxit tamen singularis Gratia Divina, quod Templum servatum & Calix cum Patina fumo plane maculatus e ruderibus integer protractus, in cujus rei memoriam B. Godofredus Plyczyk Senior Coetus Lublinensis, & Aurifaber, cum Calicem inauravit, duo spacia nigra in illo reliquit. Pro qua gratia Nomini Divino grates aeternas dicere semper & usque annitemur. Bonus interim Deus castigat ille, sed rursus & exhilarat. B. Capitaneus Nagel condemnatus fuit ad mortem Judicio Bellico. Is ergo moriundus Templo huic

non-



nongentos ſexaginta florenos; Paſtori loci quindecim aureos teſtamento legavit. Exſoluta haec Summa ipſo actu per Magnificum Colonellum Locum tenentem Chriſtianum Maske, teſtantibus id Litteris ejus Anno 1711. die 30. Julii Slavaticii datis. Aucto jam nervo gerendarum rerum prima cura fatigavit B. Paſtorem Waſchettam, quo Privilegii confirmationem a Principe Celſiſſimo impetrare poſſet, & impetravit eam feliciſſime, Anno nempe 1712. die 22. Septembris, ſed tamen non ſine ſumtu. Veriſſimum ilud antiquum.

Munera, crede mihi, placant hominesque, Deosque;
Si nil attuleris, ibis Homere foras.

Altera cura erat de reaedificanda Domo Parochiali, lente interim opus proceſſit, partim ob tranſitum frequentem Moſcovitarum, partim ob Confoederationem Anno 1715. & Anno 1716. Regnum hoc miſerrime exagitantem, partim ob valetudinem infirmam Domini Paſtoris. Cum autem praeparatoria omnia parata eſſent, mors tandem appropinquavit B. Dominus Paſtor Piaſecium, cum Anno 1718. circa Feſtum Penteceſtes veniſſet die 7. Junii, quae

erat

erat III. Feria Pentecostes hora quinta matutina animam suam Vulneribus Salvatoris sui mellitissimi commendavit. Corpus ejus exanime die 20. Junii in Templo Piasecensi prope Altare praevia Concione funebri, quam ipse ego George Abrahamowicz Pastor t. t. Vengroviensis habui sepultum. Post obitum ejus cultum publicum Dominica I. & II. post Trinitatis Piasecii. Ego etiam, qui haec scribo administravi. Oblata mihi a Coetu Lublinensi & Zamosiensi unanimiter Vocatio ad Pastoratum hujus Loci verum non fuit tum voluntas Domini mittere me in Vineam hanc interim Festo Michaëlis & sequentibus Dominicis, pavi iterum Verbo Divino animas gratiam Dei anhelantes Piasecii. Missus in locum Defuncti, tanquam ordinarius Pastor, Johann Wachowski de S. Nicolai Borussus, qui numero nonus. Is a Ministerio Gedanensi ordinatus Feria I. Natalitiorum Salvatoris mellitissimi Anno 1718. Piasecii publicum suum Ministerium exorsus. Invenit hoc in loco Aedes Parochiales, fenestris, fornacibus, januis, pavimento inferiori destitutas. Invenit praeparatoria post obitum hujus Pastoris in aulam ablata, invenit pecunia cistam Sacram destitutam,

haec

haec ergo prima cura ipſius, quo Aedes has habitationi hominum aptas redderet. Effecit quod voluit, ſaltem dolendum, quod expenſas ex proprio factas non annotavit, alioquin Coetus ad refuſionem expenſarum etiam poſt mortem ipſius in expectatam & praematuram adigi potuiſſet.

Octiduo ante Feſtum Natalitiorum Anno 1719. tranſtulit ſe in Aedes has reſtauratas habitandi cauſa, verum breve tempus fuit habitationis ejus. Die 2da. Januarii accingit ſe ad iter Piaſecenſe, quod & feliciter ſuperavit, verum mole laborum tam ordinariorum, quam extraordinariorum, nempe trium concionum funebrium obrutus valetudine inprimis debili ſemper gaudens, die 23. Januarii ſtatim poſt concionem funebrem B. Domini Godofredi Bernhard habitam, lectum ferale petiit, ex quo etiam lecto ipſi die 31. Januarii traditus, quo animam ſuam manibus Dei concredidit, exuviae ejus terrae prope ſuggeſtum praevia Concione funebri a me Piaſecii, quorſum igitur vocatus eram, habita die 5ta Martii terrae demandatae. Vixit in hoc mundo caduco Annos ferme triginta duos. Poſt humationem hujus Viri plurimum Reverendi iterum Vocatio mihi a Coe-

tu

tu Lublinensi offerebatur, factum id postea etiam litteris per Expressum Lublino Vengroviam missis, die 1. Aprilis Vengroviae praesentatis. Reddidi certiorem hac de vetum Warsaviensem, vocavi eundem ut desideriis meis toties totiesque ad conscientiam meam pacificandam requisitis, se satisfacturum sancte sponderet, secuta haec sponsio, qua etiam contentus fui.

Interim ad conscientiam meam confirmandam, quo de voluntate Divina certior fieri possem, conditiones sex Lublinum ad resolvendum transmisi. Secuta resolutio sat splendide, certior redditus rursum Coetus Warsaviensis, hac de re petii iterum ab illo confirmationem sponsionis ante datae, idque subscriptione, ut fieret nominum totius Coetus addito sigillo Coetus, hoc quia non subsecutum, hinc firmiter conclusi aperiri mihi a Numine Divino majorem Januam ad Gloriam Domini propagandam. Respondi ergo Coetui Lublinensi vinctum me jam in conscientia, ideoque assumpturum me Vocationem missam, terminum eidem ad audiendam Concionem Accessoriam fixi Dominica secunda post Trinitatis. Coetui Warsaviensi itidem hoc ipsum intimavi termino ipsi ad audiendam Concionem Vale-

le-

ledictoriam assignato Festo Trinitatis valedixi, tandem publice Vengroviae termino nominato. Piasecii Ministerium exorsus sum itidem termino supra dicto, Anno nempe 1720. die 9. Junii, Slavaticii autem Dominica XI. post Trinitatis die 28. Julii.

Decimus ergo ordine Pastor hic loci ego sum sum Georgius Abrahamowicz Maggrab Borussus. In hoc loco videns Summam rerum Divinarum ignorantiam, siquidem lingua Germanica, cultus publicus exercetur, quam tamen vix decimus intelligit, hinc curas meas eo direxi, puo Catechisationes lingua Coetui nota, nempe Polonica, instituerem, quavis proin die Dnica. tempore Vespertino Cultus Divini Catechisationes coram Coetu sedulo habui. Anno 1763. Pastor Reverendus Georgius Abrahamowicz e vita hac ad meliorem migravit. Illum in hoc munere secutus est Johannes Fried. Dinger, antea Pastor apud Vilnenses, a quibus propter dissensiones cum suis Collegis dimissus fuit. Paulo post munus Praedicatoris Castrensis obiit in Exercitu Moschico, a quo evocatus fuit obtenta legitima Vocatione a Coetu Slavaticzensi, cui obtemperans promptissime in Matrimonium duxit Praedecessoris sui Viduam Anno 1741. Ejus



jus Successor in hoc munere fuit Daniel Liebelt Lublinensis Pastor Szluczciae Lithuanorum, qui suscepta hac sacra Sparta Anno 1741. Vocationem Thorunium secutus est Anno 1743. Eodem Anno successit illi apud hunc Coetum Simeon Pusch, Argentorato Borussus. Qui adjutus inprimis favore Eximio Cels. Principis Hieron. Radziwilii, posteaquam per tot Annorum cursum optime meritus fuerit de suo Coetu, expletis fortiter omnibus muneris sui partibus, & exantlatis variis calamitatibus tempore belli civilis ingruentibus, tandem repentina ac beata morte Slavatic̈ziae die II. Febr. 1776. in sedes beatas translatus fuit.



SY-



SYNODUS GOSTINENSIS

celebrata Anno Domini MDLXV.
Die decima quinta Junii,

Praesentibus multis Magnificis ac Nobilibus Viris, atque item Rev. Verbi Dei Ministris, descripta

Per

ERASM. GLICZNERUM.





Cum Magnifici Generosi Nobiles spectataeque probitatis quidam Viri, qui membra verae Ecclesiae sunt, cum venerandis Fratribus, Verbi Dei Ministris, in Synodo in civitate Gosthin legitime congregata convenissent, ac de variis rebus, quae modo Ecclesiae Dei huic, quae magnae illi ac publicae Confessioni Augustae Vindelico-

rum Caroli Imperatori Christiano exhibitae, ut Dei consonae Verbo, jam diu nomen subscripsit, utiles ac necessariae essent, deliberassent, visum est omnibus, ut id, quod Dei Spiritus, ministerio ex ea quidem fideli ac diligente deliberatione eruissent, in Acta & Articulos referretur, quo omnes cujuscunque illi homines ordinis fuerint, & posteri etiam cognoscerent, has Ecclesias, in Regno hoc inclyto Poloniae, Dei beneficio, multis jam ab annis excitatas, ac repurgatas, non suam priorem mutare confessionem, nonque multis Sectariis, qui variis molitionibus, dolo ac praestigiis Satanae constructis hucusque has Ecclesias turbarunt, ac turbando subruere conati sunt, cedere, sed firmiter suae, quam semel amplexae sunt, adhaerere fidei, idque maximo cum (quod jam auspice Christo experiuntur) & augmento & aedificatione, licet indies multi monstrosi adversarii emergant, qui subinde novos conatus ad remorandum & elevandum hujus beatitudinis divinitus collatae cursum subornent ac adhibeant. Quae quidem Acta & Articuli, de quibus diximus, in hunc jam, opitulante Christo Emanuelo nostro, sequuntur modum. Ut vero dexterius ac facilius, veluti in quadam eluceant tabella, sintque cuilibet ad percipiendum expositissimi, eos in tres distinguimus Partes: & priorem quidem de Rebus, secundum vero de Personis, postremum de Actionibus statuemus, & quantum Res convenit, illas substantiales & accidentales faciemus; Personas item Spirituales & Seculares; similiter Actiones internas. De quibus articulatim adumbrabimus, brevibus quidem, quoad plenior ac uberior, Deo volente, Confessio nostrarum Ecclesiarum prodibit, in qua Professionis nostrae cuilibet parebit latior ac ube-

rior explanatio: in quo Deus propter Nominis ſui ſanctificationem & noſtrarum omnium ſalutem nobis adeſſe velit! Amen.



PRIMA PARS ARTICULORUM SYNODI GOSTINENSIS; DE REBUS.

Art. 1.) Puritatem doctrinae Evangelicae, nec non adminiſtrationis Sacramentorum uno ſpiritu profitemur omnes; abhorremusque; ac damnamus, qui diverſum ſentiunt ac docent.

Art. 2.) Ceremonias in Eccleſiis noſtris decoras ac utiles retinemus, deformes & otioſas rejicimus; Veſtitus, cantiones, materiam Lectionum, & ſimilia chriſtianae libertatis eſſe, dicimus, non, ut fieri non debeant, ſed ut illis libere hoc vel illo modo, tempore, loco uti liceat: non tamen temere, ſed cum conſenſu totius Eccelſiae.

PARS II. DE PERSONIS

1.) SPIRITUALIBUS.

Art. 1.) Seniores vel Superintendentes duos in Eccleſiis noſtris per impoſitionem manuum & orationes, electos a tota Eccleſia, habemus.

Art. 2.) Paſtores item, ſive Concionatores, Diaconos & ludi moderatores. Et Paſtores, quidem nequaquam Eccleſiis gubernandis praeficimus, niſi

probe ſanorum teneant verborum formam, vitam irreprehenſibilem ducant; &, quibus coelebs vita incommoda fuerit, matrimonium liberum facimus. Hi denique, poſtquam fuerint ad praedicandum Dei verbum & Sacramenta adminiſtranda electi & vocati, a noſtrisque Superintendentibus confirmati, temere non deſerant ſuas Parochias: &, ſi quando deſerere contigerit, id non niſi cum conſenſu & judicio Seniorum faciant; politicis negotiis non ſeſe ingerant, ſed ſuae diligenter vocationi inſerviant.

Art. 3.) Diaconi duo ſint in qualibet Eccleſia, probi & fideles viri.

Art. 4.) Ludi moderatores item comptiſſimis moribus ſint & hos ſub poteſtate Paſtorum eſſe volumus.

2.) DE SECULARIBUS PERSONIS.

Art. 1.) Magiſtratus civiles ordinationem Dei eſſe, credimus, quam & venerandam & colendam noſtris auditoribus inculcamus. Jura & leges veteres in hoc Reguo vulgo receptas amplectimur, nec alia nobis fingimus. Seniores ex plebe, qui Magiſtratus Perſonas gerant, nequaquam nobis eligimus; nec docemus, eligendos eſſe; ſed eos, qui a Rege noſtro vel ab Ejus Senatoribus electi ſunt, pro vero & legitimo Magiſtratu agnoſcimus, fatemurque, his gladium ad puniendos & coërcendos facinoroſos divinitus traditum eſſe; & abhorremus damnamusque eos, qui diverſum faciunt & ſentiunt.

Art.

Art. 2.) Perſonas alias oeconomicas & Reipublicae utiles non antiquamus, ſed retinendas cuilibet ſtatui ducimus; modo intra metas vocationis ſuae maneant & ſint pietatis amantes.

PARS TERTIA.
DE ACTIONIBUS
I.) SPIRITUALIUM PERSONARUM.

Art. I.) Senioribus competit, in medio Eccleſiae ordinare Miniſtros: verum nemo ab his ordinetur, niſi qui ad docendum aptus fuerit, ſitque in doctrina Apoſtolica probe examinatus, habeatque formam bonorum operum in doctrina, in integritate & ſermone ſano.

Art 2.) Horum etiam eſt, integritatem & bonitatem doctrinae fideliter Eccleſiis & earum Miniſtris inculcare; errantes, haereticos & alios, qui novis ac adulterinis dogmatibus ſtatum Eccleſiae noſtrae convellere vellent, arcere & convincere, & ſi pertinaces fuerint, excommunicare.

Art. 3,) Hi ſimiliter habent plenariam poteſtatem viſitandi Miniſtros & eorum Eccleſias; quo tempore explorabunt, num ſerio & gnaviter Miniſtri Dei doceant verbum? num honeſte vivant? num ſincere juxta inſtitutionem Chriſti diſtribuant Sacramenta, ac ſervent unanimiter uſitatas ac praefixas ceremonias? num denique diligenter conſervent ac cuſtodiant eccleſiaſtica Bona? & num ipſi fuerint turpis lucri cupidi, vel plus rei domeſticae atque ſuo proprio muneri intenti? num item tranquillam & pa-

catam ducant vitam, & non alias cum aliis odia & rixas? Qui, si in aliquo horum crimine deprehendantur, juxta constitutionem ecclesiasticam sine remora puniri debent.

Art. 4.) Ad eundem modum Seniorum interest, dehortari Pastores & eorum auditores a praesentibus haeresibus, & percontari, num de sua & Ecclesiae fidei Professione bene fuerint persuasi, & non sint pravis aliquibus opinionibus irretiti, vel sectis adjuncti? Alioquin, si in eo lapsi fuerint, redireque ad Ecclesiam noluerint, excommunicentur.

Art. 5.) Horum etiam refert, invitare Ecclesiam ad debitam obedientiam & reverentiam erga suos Pastores, graviterque monere, quo stipendia suis persolvant in tempore Ministris.

Art. 6.) Postremo Seniorum est, communicato cum Patronis nostrarum Ecclesiarum consilio, indicare Synodas tempore opportuno.

Art. 7.) Pastorum interest, docere illa omnia, quaecunque Christus mandavit. Hoc igitur ratum nostri Pastores habeant, ut munus praedicandi Verbi Dei sedulo exerceant, oracula Dei proponant suis auditoribus non sua somnia ad inventiones suas. Ex hoc enim veri Christi discipuli cognoscuntur si sermonem ejus servaverint.

Art. 8.) Juxta formam a Christo traditam Sacramenta distribuant, nec quicquid in externis ritibus moliantur, sed servent usitatum dispensandi modum: & si quis aliter facere praesumserit, ab officio suspendatur; si resistere voluerit & monita respuerit, excommunicetur.

Art. 9.) Eos, qui ſecuram vitam agunt, & publice absque ullo & Dei & hominum timore peccant, nec unquam ſuos innovant mores, noctes atque dies ad meliorem vitam provocent inſtituendo & comminando. Si ſeſe in ſuo volutare coeno perrexerint, & monita Eccleſiae ſpreverint, hos a ſacra communione arceant; ſceleratos vero ac facinoroſos juxta praeceptum Pauli excommunicent.

Art. 10.) Adhortentur jugiter populum ad collationem eleemoſioarum pro alendis Miniſtris tam eccleſiaſticis, quam ſcholaſticis: & ſit in qualibet Parochia peculiaris contributio (ſine tamen coactione) pecuniae, quam duo fideliter exigant & cuſtodiant, juxta morem veteris Eccleſiae.

Art. 11.) Senioribus ſuis obedientiam & reverentiam omni modo exhibeant; mutuam dilectionem colant; ſimultates caveant; Patronos ſuos complectantur, nec ullas moleſtias faceſſant. Non ſint pugnaces, ſed placidi erga omnes; propenſi ad docendum; tolerantes malos, cum manſuetudine erudiendo eos, qui obſiſtunt.

2.) PERSONARUM SECULARIUM ACTIONES.


Art. 1.) Magiſtratus Civilis officium eſt, curare Religionem, & ſuis ſubditis de veri Dei proſpicere cognitione, puram reſtituere & falſam antiquare, idque exemplo Joſuae, qui populo Iſraelitico permiſit praelegi Librum Devteron. Davidis, qui ad Arcam Domini conſtituit Levitas, Janitores & Sacer-

cerdotes certos, qui miniſtrarent Domino; Salomonis, qui Sacerdotum officia ordinavit juxta vices certas & tempora; ſimiliter Joſaphati, qui ſtudium religionis apud Judaeos corruptum reformavit, mittens inſuper anno tertio Regni ſui aliquot ex ſuis Principibus in Judaeam, qui Legem Dei populo proponebant; poſtremo Conſtantini, Gratiani, Theodoſii & aliorum. quibus pura religio ſemper maximae curae fuit.

Art. 2.) Sint Doctorum & Paſtorum purae religionis fautores ac nutritores - - - Miniſtros Evangelicos pios & doctos viros ſine evidenti cauſa, idque non propria autoritate freti, ſed conſilio cum Superattendentibus habito, a ſuis non removeant Eccleſiis. Et ſi aliter fecerint, publice corrigantur.

Art. 3.) Bona, quae ſunt antiquitus Eccleſiis collata, non ad civitates, nec ad privatas uſurpent uſus, ſed ſuis illa Miniſtris tradant; & ſi quae ablata ſunt, iterum reſtituantur.

Et hi quidem ſunt Articuli, quos ſuccincte de Rebus, de Perſonis Actionibusque in Eccleſia Dei verſantibus delineavimus, quantum praeſentia neceſſitatis ratio poſtulaverit. Oramus Deum omnipotentem, quo haec omnia in noſtris Eccleſiis & tueri & conſervare velit, Amen.



CRA-



CRACOVIENSIS SYNODI GENERALIS

ACTA ET CONCLUSIONES,

SEU

CANONES

ANNO DOMINI M. D. LXXIII.

SEPTEMB. DIE XXIX.

&c.



Cum conveniſſent tam verbi Divini Miniſtri & Superattendentes Confeſſionum, Auguſtanae Fratrum Bohemorum & Helveticae, quam Illuſtres, Magnifici & Generoſi Domini Patroni, & Seniores cum Legatis Eccleſiarum orthodoxarum Majoris & Minoris Poloniae, atque magni Ducatus Lithuaniae, Ruſſiae, Samogitiae, & ex aliis Provinciis, quo de rebus ad propagationem Religionis Chriſtianae orthodoxae & diſciplinae Eccleſiaſticae neceſſariis agerent: Tum invocato Numine Sancti Spiritus & perlectis litteris ac auditis legationibus, ab Eccleſiis & ſpectabilibus perſonis ad Synodum miſſis, haec, quae ſequuntur, egerunt ac decreverunt.

PRIMO.


Consensus mutuus, olim Sendomiriae constitutus ac sancitus, denuo in hac Synodo repetitus est: Cujus verba omnia ordine perlecta & diligenter examinata, atque a cunctis unanimiter comprobata sunt.

SECUNDO.

Consignationem Articulorum certorum, inter nos omnes observandorum, qui sanciti sunt in Synodo Posnaniensi Anno M. D. LXX. die XX. Maji, in hac Synodo Cracoviensi legimus, perpendimus: & cunctos istos Articulos approbatos, pro communibus recipimus.

TERTIO.

Porro, ut partim optimus ordo cum Ecclesiastica disciplina vigere magis ac magis possit: partim etiam ut doctrina Christiana, summa cum concordia a nobis propagari ac felicem cursum habere queat: ac denique ut Schismatibus ac scandalis (quibus vehementer impeditur & tardatur Aedificatio Ecclesiae Dei) eatur obviam: superiorum Articulorum Consignationi Constitutiones quasdam, jam pridem in Synodis Districtualibus, Xansensi & Wlodislaviensi sancitas subjecimus; Relicta tamen libertate Fratribus Bohemicae & Augustanae Confessionis, ut possint suos ritus & consuetudines, quae in hoc genere ab eis observantur, retinere: praesertim de Superattendente & ejus officiis, ac etiam de Senioribus & de Synodis.



EX
XANSENSI SYNODO
CONSTITUTIONES,

I.

DE SUPERATTENDENTE.

In ſingulis Diſtrictibus, ex Miniſtris illius Diſtrictu eligendus eſt unus in Superattendentem, ſive Seniorem Spiritualem: Hujusmodi vero qui aptus eſſet ei muneri: Idque a Miniſtris & Senioribus illius Diſtrictus Superattendens, / ut inaugurationi ipſius praeſit, cujus haec ſunt officia.

I.

Certo in loco fungetur officio Miniſterii: ac educabit Catechiſtam impenſis Patronorum illius Diſtrictus, qui ad munus Miniſterii ſedulo ſeſe exercere, & in abſentia Superattendentis, cum videlicet is ad viſitandas Eccleſias vel Synodos profectus erit, conciones ſacras habere debet.

II.

In Diſtrictu ſibi commiſſo, paſſim, ubi opus fuerit, Miniſtros tam per oppida, quam in pagis conſtituere debet.

III.

Miniſtros in certis locis habitantes, eorumque auditores viſitare tenetur, ad minimum ſemel in anno: idque cum uno aut duobus Senioribus ſecularibus ſeu Diaconis.

IV.

IV.

Summa cum diligentia munus ſibi concreditum exequatur, ita, ne lupi rapaces doctrina falſa & haeretica gregem Chriſti inficiant & diſpergant aut perturbent.

V.

Cum fuerit vocatus ad Synodos aliarum Eccleſiarum alterius Diſtrictus ſeu Provinciae, eo accedere debebit, idque ſumptibus coetus ſui Diſtrictus.

VI.

Synodos in ſuo Diſtrictu ſeu Dioeceſi ſtatis temporibus certas & neceſſarias ob cauſas, inducat, easque dirigat.

VII.

Querelae inter Fratres, ſi forte acciderint, eas vigilanter excipere debet; atque advocata utraque parte, in Conſeſſu Seniorum dijudicare & conciliare: Salvis tamen legibus.

VIII.

Catechiſtas & Adoleſcentes bonae indolis, qui ad Miniſterium idonei eſſe poſſent, examinare & ſuſcipere debet.

IX.

Litteras ab aliis Eccleſiis, & quibusvis hominibus, quae ad Eccleſias Dioeceſis illius miſſae fuerint, accipiat: ad quas de Conſilio Seniorum, praecipue Miniſtrorum, caeterorumque Fratrum, praeſertim in rebus difficilioribus, reſpondeat.

X.

Munus ejus a Synodo ad Synodum durare debet: Et juxta ſententiam Synodi, aut is retinendus & approbandus, aut alius eligendus & conſtituendus erit.

DE SENIORIBUS
ORDINIS EQUESTRIS,
SEU
POLITICI.

Seniores ubique in Diſtrictibus ſeu Dioeceſibus duo vel tres eſſe debent, qui in particulari ſeu diſtrictuali Synodo ab omnibus Miniſtris & Patronis ſuffragiis liberis eligantur: poſtea a Superattendent eiusdem Diſtrictus & ab aliquot Miniſtris inaugurentur.

Quorum haec ſunt officia:

I.

Obſtringet eos, ſub conſcientia Synodus & Eccleſia, ut ſedulo obſervent Miniſtros, quo veram & orthodoxam doctrinam, pure, fideliter & diligenter proponant; utque vitam piam & modeſtam agant. Quodſi animadverterint, quempiam illorum errare, & ſcandalum praebere, monere debent hominem, ac ſi res poſtulaverit, propter enorme aliquod peccatum a Miniſtri eum ſuſpendere, conſilio Superattendentis, uſque ad Synodum. Sic etiam erga ſingulos Fratres ſe gerent, ut errantem coërceant, obſervatis tamen diſciplinae Eccleſiaſticae gradibus.

II.

Ad Synodos omnes proficiſci debent: Et una cum Superattendente Eccleſias viſitabunt.

III.

Curare debent & commonefactionum aſſiduitate efficere, ut Bona Eccleſiaſtica reſtituantur ad uſum Miniſtrorum & Eccleſiarum.

IV.

IV.

Operam dabunt, ut Miniſtri victum neceſſarium & habitationem commodam habeant: Neve ulla injuria aut gravamine affligantur.

V.

Conſtitutiones Synodicas ad executionem debent perducere, atque omnes controverſias inter Fratres componere. Officio vero fungentur tantum ad Synodum, quos vel in eodem confirmare, vel movere, aliosque ſubſtituere, liberum erit Synodo.

III.
DE SYNODIS.

Synodi duplices in ſingulis Diſtrictibus celebrari debent, altera Particularis, quater in anno; altera vero Diſtrictualis; ſemel in anno.

IV.
DE MINISTRIS.

I.

Miniſterium nemo ſibi uſurpare, neque ſe quisquam ſua praeſumtione mittere poteſt, ſed Superattendens in Synodis Diſtrictualibus, Miniſtros eligere, ordinare & mittere debet.

II.

Neque etiam quisquam vocationem & ſtationem ſuam, aut munus Paſtorale ſibi comiſſum, ſuo arbitrio deſeret, ſine conſenſu totius Synodi & Patronorum ſuorum.

III.

Patronus privata ſua authoritate ac voluntate, nec recipiat, nec dimittat, multo minus ejiciat Miniſtrum.

Sed

Sed ejusmodi negotia in Consessu Seniorum proponat & expediat.

IV.

Nulli Ministrorum caeterorum, vel Fratrum liberum sit in lucem emittere libros, vel manuscriptos, vel impressos, absque consensu totius Synodi.

EX WLODISLAVIENSI SYNODO GENERALI

CONSTITUTIONES

IN HAC

CRACOVIENSI GENERALI

RECEPTAE.

I.

Cohibeantur & procul arceantur omnia vitia, profusae commessationes: ingluvies ac ebrietas, maledicta, choreae, fastus & luxus in vestitu, quem vitare debent cujuslibet conditionis homines, omni in loco, maxime vero in sacris coetibus, ne offensionis causam praebeant.

II.

Nuptiae summa cum honestate, modestia & morum Sanctimonia celebrentur.

III.

Publica hospitia seu cauponae, sint honestatis domicilia, bene in omnibus ordinata & provide constituta: Ita ut & potus & caetera ad vitam hominum atque jumentorum pertinentia, tam peregrinis, quam indigenis necessaria, in eis inveniri possint. In quibus

bus ne fiant conventicula puellarum & quarumlibet foeminarum ſuſpecta ac praeſertim nocturna, Domini id curare, cumque choreis, luſus chartarum &c. ac ſimilia vitia, ſevere prohibere debent.

IV.

Subditorum habeatur ſumma ratio, ita ut Chriſtianum amorem humanitatemque debitam ab ipſis Dominis & horum Procuratoribus experiantur. Laboribus nimiis ne opprimantur, ſed quandoque relaxatione & remiſſione ii fruantur. Labor ab ipſis bidui vel ad ſummum tridui ſeptimanatim, nec ultra, exigendus eſt. Cenſus & aliae penſiones, ab ipſis juſte & clementer, ſine gravamine & oppreſſione, accipiantur. Nempe ita ſeſe erga ſubditos ſuos gerant Domini, quales ſi in iſtorum proximorum ſuorum loco eſſent, Dominos erga ſe optarent.

V.

Diebus Dominicis, ne permittant Domini in ſuis ditionibus negotiationes forumque publicum: Neque iisdem d ebus, colonos ſuos ullis laboribus aut vecturis onerent.

VI.

Cum hoc praecipuum ſit Parentum munus, ut ſuos liberos in vera ſinceraque religione, in Dei timore & pietate inſtitui curent; nefas eſt Chriſtianorum ac Evangelicorum hominum liberos, diſcendi gratia, ſcholas blaſphemorum & idololatrarum frequentare.



QUAR-

QUARTO.

QUARTUS SYNODI CRACOVIENSIS ACTUS ERAT,

DE

ARRIANABAPTISTIS.

Ex his cum aliquod Concionatores & Auditores ſuapte ſponte ad Synodum veniſſent, & de ſuo dogmate ibidem dicere vellent; Synodus poſt gravem de iis deliberationem, denegavit eis colloquium ac diſputationem, & tale Decretum fecit:

Siquidem Arrianapabtiſtae ex nobis egreſſi, non manent in Doctrina Chriſti ac Fide de vero Deo, Patre & Filio cum Spiritu ſancto, adeoque Deum non habent: & jam a nobis ſaepiſſime, colloquiis ac ſcriptis admoniti, pertinaciter in errore manent: Nullum jam amplius cum ipſis commercium (quamdiu ſententiam ſuam tuentur) habeamus, nullas diſputationes ipſorum admittamus, ſed eos librosque illorum blaſphemos ſecundum praeceptum Spiritus ſancti vitemus, ne alias fundamentum Religionis Chriſtianae, Fidem firmiſſimam de Deo (in cujus nomine ſumus baptizati) ſubter nos commovere ac in dubium vocare videamur: Et ne operibus eorum malis, doctrinis venenatis, atque blaſphemiis, gloriam Domini oppugnantibus, communicemus.

QUINTO.

DE CHOREIS.

Diſceptatum eſt in Synodo de Choreis, quibus non nulli patrocinari vellent, fingentes talem diſtinctio-

nem: Quod aliae ſint honeſtae, aliae inhoneſtae. Sed omnium tam Spiritualium, quam Secularium ſecundum ſacras Scripturas, Suffragia (refutatis palliationibus & excuſationibus chorearum) prorſus eae ſunt damnatae ac vetitae omnibus veram pietatem profitentibus, nec ſecundum carnem ambulantibus, ſed opera carnis Spiritu mortificantibus, mundum & ipſius vanitatem non amantibus, ac Chriſtum quotidie cum cruce ſequi conantibus.

SEXTO.

De Ceremoniis, praeſertim in uſu Coenae Domini mota quaeſtione: An eae in omnibus Eccleſiis noſtris uniformes eſſe poſſent? Concluſum eſt, ut ſecundum morem primitivae Eccleſiae libertati Chriſtianae Ceremoniae inter nos permittantur: Monitis tamen Fratribus, ſi qui Seſſione in ſacra Coena utuntur, ut eam Ceremoniam, Arrianabaptiſtis propriam, relinquant.

SEPTIMO.

Hi articuli cum ſuperius nominatarum Synodorum Conſtitutionibus & Canonibus in omnibus & ſingulis punctis, ab hac generali Synodo examinati, approbati & ſolenniter confirmati ſunt, ab omnibus tum praeſentibus Miniſtris & Patronis, ac Eccleſiarum Legatis, nomine ſuo & ſuorum, ultro, tali poena in violatores horum conſtituta; Nos Patroni Equeſtris ordinis, ſi contra iſtos Articulos quid commiſerimus, ut Miniſtris privemur atque aliis poenis (ſecundum diſciplinam Eccleſiaſticam)

quae

quae in pertinaciter peccantes, ſacris Scripturis expreſſae ſunt, afficiamur. Nos vero Miniſtri, ut ab officio Miniſterioque deponamur, ac etiam excommunicationis in verbo Dei deſcriptae poenam ſubeamus. Quod ut ratum firmumque ſit, Domini & Fratres in hac Synodo praecipui, nomine ſuo & Eccleſiarum ac Fratrum ſuorum omnium, exemplar actorum hujus Synodi Cracoviae Calend. Octobr. M. D. LXXIII. manibus ſuis ſubſcripſerunt, & etiam ſigillis ſuis conſignarunt.

Joannes Firley de Dumbrowicza, Palatinus & Generalis Capitaneus Cracovienſis, Marchallaus Regni Poloniae &c. M. P. ſubſcribo.

Stanislaus Slupeczki, Caſtellanus Lublinenſis ſubſcribo, M. P.

Joh. Tarlo, Caſtellanus Radomienſis, M. P.

Hieronymus Buzinski, Theſaurarius Regni Poloniae, M. P.

Stanislaus Garnycz, Dapifer Cracovienſis, M. P.

Stanislaus Plaza.

Andreas Firley de Dumbrowicza, Palatinides Cracvienſis.

Nicolaus Koniecpolski.

Nicolaus Dluski.

Chriſtophorus Goslawski de Bebelno.

Hieronymus Goſtomski.

Sigiſmundus Palczenski, Subcapitaneus Cracovienſis.

Joannes Pacowski de Packowicze.

Matthias Lowieniczki.

Marianus Srzilenski Burgravius Arcis Cracoviensis.

Valentinus a Brazcie.

Stanislaus Karminski, Juvan Senior Districtus Cracoviensis.

Stanislaus Sudrovius Ostrolencensis, Christi Jesu Minister in Coetu vilnensi, suo & ejusdem Coetus Fratrum nomine.

Georgius Israël.

Joannes Lorentius.

Joannes Rokita, Seniores Confessionis Bohemicae in majori Polonia, suo & Ecclesiarum Fratrumque suorum nomine.

Erasmus Gliczner, Ecclesiae Dei Confessionis Augustanae in majori Polonia Superattendens, suo, & Collegae sui nomine.

Joannes Enoch, suo, aliorumque Fratrum suorum nomine.

Andreas Prasmovius, Radziejoviensis Minister, Superattendens in Districtu Cracoviensi.

Thomas Golecius, Minister Homostensis, Coetus Vilnensis.

Valentinus de Brzozowo, Minister Ecclesiae Dei, Senior in Districtu Podgoriensi.

Petrus Luncki, Minister verbi Dei, & Senior in Districtu Raviensi & Opocznensi.

Georgius Pontanus, Ecclesiae Christi Minister, Superattendens in Districtu Lublinensi & Belensi, suo & suorum nomine.

Stanislaus Czaslavius, Minister Christi in Chrithnica, missus ad hanc Synodnm a Fratribus Districtus Chenczinnensis suo & suorum nomine subscripsit.

Si-

Simeon Theophilus Turnovius, Minifter Chrifti & Ecclefiae ejus orthodoxae in Luthomirsko, fubfcripfit M. P.

Porro tota haec Cracovienfis Synodus, omnium Confeffionum Fratres, Superattendentes, Miniftri, & Domini Patroni, quorum hic funt expreffa nomina & reliqui congregati, fanctum Confenfum ac Unionem, atque omnes iftos Articulos & Conftitutiones confirmarunt & obfignarunt, denique Sacra Synaxi Corpus & Sanguinem Domini fimul percipientes, iis ceremoniis, quas Ecclefia Cracovienfis in ufu habet. Atque ita in amore fraterno gaudentes & Dominum collaudantes ad fuos redierunt.

Pfal. LXVII.

Cofirma hoc Deus, quod operatus es in nobis, Amen.



WLODISLAVIENSIS

SYNODUS GENERALIS,

ANNO DOMINI

M. D. LXXXIII.

JUN. DIE XIX.

Anno Domini M. D. LXXXIII. Junii die XIX hora meridiana invocato Spiritu Sancto factum eft exordium Synodi Wlodislavienfis, cui intererant plurimi vi-

ri clarissimi, ordinis Senatorii & Equestris, ex Provinciis Regni Poloniae, ac Legati ex magno Ducatu Lithuaniae &c. cum Superattendentibus, Senioribus ac Ministris septuaginta circiter. Ibique primo tractata & constituta sunt ea, quae ad bonum ordinem Synodi & Actionum ejus pertinebant; cum electione personarum, quae potissimas negotiorum partes sustinerent.

ACTA
ET
CONCLVSIONES SYNODICAE,
DIE XX. &c.

I.

Prima Actio erat de renovatione & confirmatione Consensus Sendomiriensis inter Fratres Confessionis Bohemicae, augustanae & Helveticae, ut istae sancta concordia inter dictas Ecclesias semel constituta, & confirmata, deinceps etiam inviolata ac integra permaneret: Repressis maturo consilio omnibus technis, quibus Satanas, nequissimus gloriae Dei & nostrae salutis hostis dissidio & tumultuum author, istam unionem & pacem pulcherrimam inter nos turbare niteretur. Quare ibidem personarum & partium quarundem acta, Consensui non penitus congruentia, spiritu mansuetudinis ac ingenue sunt perpensa & correcta. Atque ita eo firmius adstrictum est vinculum pacis ad conservationem Sanctae Concordiae, undique ratam & inviolabilem secundum Consensum Sendomiriensem, & caeterarum Synodorum Constitutiones, in amore mutuo, temporibus perpetuis.

II.

II.

Concluſum, ut Conſenſus Sendomirienſis, cum Conſignatione Poſnanienſi & Actis atque Canonibus generalium Synodorum noſtrarum, hujusque Wlodislavienſis, lingua latina & Vernacula publicantur; cum ſubſcriptione perſonarum, praeſertim praecipuorum Seniorum.

III.

Conſtitutum, ut quilibet Miniſter ſibi comparet habeatque dictum libellum, Conſenſum & Conſignationem &c. complectentem: Atque ita in omnibus ſe gerat, ut concordiam tueatur, ſub poena Eccleſiaſtica.

IV.

De harmonia confeſſionum Evangelicarum (pio ſtudio & ſolerti labore apud Helveticos nuper edita) in eam ſententiam itum eſt: Siquidem nos in Polonia & Lithuania &c. divino favore, habemus certam Concordiae noſtrae normam ac vinculum, Conſenſum Sendomirienſem &c. quo tanquam vexillo pacis in unum Domini exercitum conjuncti, feliciter utimur: Proinde iſti Harmoniae caeterisve Concordiae formulis ſubſcribere, ac eas in noſtras Eccleſias inferre, ſupervacaneum eſſe cenſemus.

V.

Decretum eſt, ne quiſpiam audeat ullos libros proprio arbitrio publicare. Sed illi libri, qui Generalem Eccleſiae Doctrinam continent, Cenſurae Superattendentum omnium confeſſionum & Seniorum praecipuorum ſubjaceant. Qui vero ſpecificum aliquid

tractant, a Ministris Senioribus Districtuum examinentur.

VI.

Quod attinet ad Ceremonias Coenae Domini Sententia jam olim in Sendomiriensi Synodo agitata, & conclusio in Cracoviensi atque Petricoviensi Synodo facta ac repetita, in hoc etiam Wlodislaviensis Synodi Consessu approbata est: nempe ne in usu sit Sessio ad Mensam Domini, in ullis hujus nostri Consensus Ecclesiis Poloniae & Lithauniae &c. Nam haec Ceremonia (licet cum caeteris libera) Ecclesiis Christianis & Coetibus Evangelicis non est usitata, tantumque infidelibus Arrianis, cum Domino pari solio sese collocantibus, propria. Cum itaque Sessio potissimum occasione & malo auspicio illorum, qui miserrime ex nobis exciderunt, & Dominum, qui nos redemit, abnegaruut, in consuetudinem irrepsit aliquod nostris Ecclesiis, rogamus & hortamur omnes istos Coetus & Fratres nostros in Domino, ut Sessionem commutent in Ceremonias nobis in Ecclesiis Evangelicis per Europam consuetas, scilicet ut administretur Coena Domini vel stantibus, vel genua flectentibus (cum protestatione contra Artolatriam Papistis consuetam.) Quem utrumque ritum, prout in quibusdam Ecclesiis hactenus usitatus est, nobis liberum, sine scandalo & vituperatione invicem, relinquimus & approbamus.

VII.

Cum multiplicata sint gravia scandala & enormia vitia, ebrietas, commessatio, prodigalitas, ludi alearum

&

& chartarum, avaritia, usurae, oppressio subditorum, erga proximos iniquitas non reddens cuilibet quod suum est, circumventiones, debitorum non solutiones, crudelitas, fastus, vestitus luxuriosus, choreae, scortatio, maledictiones, jurgia, inimicitiae, proximorum offensiones ac homicidia, pigrities, otium & laborum ac negotiorum propriae vocationis fuga; cultus & verbi divini, in Coetibus piis, levissimis de causis, scandalosa intermissio, Sacrae Synaxis neglectio, admonitionum & disciplinae contemptus: communionis idololatriae & blasphemiae, respectu sui, sive liberorum suorum &c. non evitatio: quorundam etiam ab Ariolis sciscitatio & incantatricum ac ejusmodi illusionum variarumque Superstitionum usus: & his similes abominationes ac peccata Verbo Dei contraria, & plurimum mali secum vehentia. Proinde conclusum est, secundum Divina in Scripturis Sacris decreta, & piarum Synodorum nostrarum Constitutiones, Disciqlina Ecclesiastica, debitis gradibus, omnino & serio contra tales (si qui in nostris Coetibus reperirentur, cujuscunque sint status & conditionis) uti: cum excommunicatione pertinacium ab usu Coenae Domini, & ex Coetu Fidelium ejectione.

VIII.

Synodum generalem nemo indicere debet privato arbitrio, tantum ex communi sententia omnium Superattendentium & primariorum Dominorum Patronorum; Particulares vero liberae sunt cuilibet Seniori in sua Dioecesi, consciis etiam Senioribus secularibus.

IX.

Omnium quidem Ministrorum ea cura esse debet, ut singuli etiam posteritati verae Religioni prospicientes, exemplo Prophetarum, Domini ipsius & Apostolorum, habeant secum commorantes bonae indolis adolescentes, quos in usum Ecclesiae quantum possunt, pane suo alant, ac doctrina & exemplis, a primis unguiculis, ad pietatatem & ad labores officii, informent. Maxime vero id fieri necesse est a Senioribus Ministrorum, quo etiam ii liberius domo, a sua Ecclesia ad caeteras, pro necessitate functionum suarum, proficisci possint. Sancitum itaque est, ut in familia cujuslibet Senioris, unus aut duo &c. juvenes alantur, subsidio seu collecta (ut vocant) Dominorum Patronorum sui Districtus: praesertim vero, si quis Senior Minister sit fortunae tenuioris.

X.

Ut vero possit facilius conservari ac augeri seminarium Ecclesiae Dei, scholis providendo, idoneos juvenes educando ipsisque ad literas colendas sumptus largiendo; obtulerunt jam pridem ea in re promptam suam voluntatem Domini Patroni, &c. superioribus temporibus in quibusdam Synodis ultro ab ipsis conclusum est, ut quilibet Dominus, ab unoquoque suo ruricola seu rustico agrum habente, det una vice florenos singulos, ut ex ea summa collecta, in usum discentium quotannis justis modis proventus suppeteret. Quare serio rogat & obtetestatur Synodus omnes Dominos Patronos in Regno Poloniae & magno Ducatu Lithuaniae &c. ut tandem collectas, ad erectionem & subsidium

dium Scholarum memoratos uſus, conferre dignentur. Aequum enim & dignum eſt, ut qui ex manu Dei omnia ad diſpenſandum ſibi commiſſa habent, ad promovendam gloriam ipſius non ſint ignavi, praepoſtera ac ſordida parſimonia ne peccent, Deumque ad iram & vindictam non provocent: Et qui cives Eccleſiae praecipui ſunt, ac in ea fructu Miniſterii Chriſti utuntur; ſint Eccleſiae (quod ſibi Deus olim per Prophetam de ipſis promiſit) nutritores: atque cum reliquis etiam tenuioris ſortis hominibus, in re ad omnes ſpectante, per ſe ac adverſus impetum ſcandalorum admodum neceſſaria par onus ferant. Alias in hoc negotio negligentes, duri ac inverecundi, juſtiſſime caſtigare deberent diſciplina Eccleſiaſtica, quolibet Miniſtro eam ſine adulatione erga ſuas oviculas fideliter exercente.

XI.

Sicubi ſit Miniſter, emeritus miles, annis aut aegritudine confectus, ac ad ſuſtinendos Miniſterii laboris impar, conſtitutum eſt, ut ratione talium Miniſtrorum fiant collectae quotannis in Synodis particularibus, ac in manus eorum fideliter reddantur.

XII.

Ordinatio Miniſtrorum & miſſio in certa loca, ad operandum in vinea Domini, commiſſa eſt Superattendentibus & Collegis eorum Miniſtris Senioribus.

Quod vero ad victum & caetera Miniſtris neceſſaria pertinet, id Domini Patroni praeſtare, Senioresque

que Spirituales & Seculares pariter curare debent.

His ita pia consultatione constitutis, & vigore Generalis Synodi decretis, confirmata Sancta Concordia & pace, ac mutuo amore aucto, Principi Pastorum Domino Jesu cum Patre & Spiritu Sancto super omnia benedicto Deo, laeti gratias egimus. Et Seniores ad id a Synodo deputati, nomine totius Synodi manibus propriis subscripsimus.

Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis, Amen.



Joannes Lorentius, Senior & Superattendens Ecclesiae Confessionis Fratrum Bohemorum in Polonia, suo & Fratrum suorum nomine subscripsit.

Paulus Gilovius, Superattendens Ecclesiarum Confessionis Helveticae reformatarum, in Districtu Cracoviensi &c, suo & Fratrum suorum nomine subscripsit.

Erasmus Gliczner, Superattendens Ecclesiae Dei Confessionis Augustanae in majori Polonia, suo & Fratrum suorum nomine subscripsit.

Bartholomeus Crossius, Minister verbi Dei, & earum Ecclesiarum ibidem Senior subscripsit.

Joannes Rokita Litomisliensis, Senior in Districtu Gallissinensi, & Pastor Ecclesiae Cosmingensis subscribo.

Si-

Simeon Theophilus Turnovius, Senior Fratrum in Diſtrictu Siradienſi, Paſtor Eccleſiae orthodoxae Luthomirſci, Notarius Synodi, M. P. ſubſcribo.

Jacobus Laſzkowski, Nuntius Dominorum Patronorum, Eccleſiae Fratrum ex majori Polonia M. P.

Stanislaus Comes a Gorca Palatinus Poſnanienſis, manu propria ſubſcribo.

Pſal. XLVII. & LXVII.

Exaltatio univerſae terrae Mons Sion, latera Aquilonis, civitas Regis magni.

Jehovah Exercituum, diſperde Gentes (& mentes) quae bella volunt.



PETRICOVIENSIS

SYNODUS GENERALIS,

ANNO DOMINI

M. D. LXXVIII.

JUNII DIE I. II. III.

Convenerunt ex omnibus Regni Provinciis Superattendentes Confeſſionum cum Senioribus, & numeroſo Coetu Miniſtrorum Magnatum Ordinis Senatorii & Nobilium non mediocri frequentia, Domino Petro Zborovio Palatino Cracovienſi, & Domino Jacobo Niemoievic, cum Paulo Gilovio (a Synodo de-

delectis) potissimas partes in Regimine Synodi agentibus.

CONCLUSIONES SYNODICAE.

I.

Quia nobis relatum est, conscribi in Germania a viris doctis Harmoniam Confessionum Evangelicarum, non improbamus omnino istud consilium & laborem piorum hominum, nostrum Consensum Sendomiriae factum hoc modo promovere atque confirmare (corpore Doctrinae ex Confessionibus nostris compacto) studentium. Sed postquam fuerit corpus id publicatum ac ad nos perlatum, deliberabitur a nobis in alia Synodo generali, num ei subscribere debeamus.

II.

Consensus Sendomiriensis, & caetera deinceps in Synodis nostris Generalibus constituta ac recepta, summa cum alacritate ab omnibus approbantur & confirmantur.

III.

Disciplina Ecclesiastica ut majori sedulitate inter nos exerceatur, & in omnibus justam executionem sortiatur, utile admodum & necessarium esse decernimus.

IV.

De Ceremoniis potissimum in administratione Coenae Domini, exoptandum & optimum quidem esset, ut per totum Poloniae Regnum in omnibus Evange-

ge-

gelicis Ecclesiis, iisdem ritibus Sacra Synaxis celebraretur. Et certe non esset ea res adeo difficilis, quoad ipsos Ministros & prudentiores homines. Illico in unam certam formam consentiremus, sed quia vulgus ac homines simpliciores mutatione rituum offenderentur, & ad Ceremonias suae consuetudini dissimiles omnino adduci non possent: Ac, si cogerentur, eo forsan res deveniret, ut Disciplina Ecclesiastica in eos extendenda esset (qua quidem, propter externos ritus, homines pios ferire, neque Domini est voluntas, neque purioris Ecclesiae Christianae mos). Proinde Ceremonias libertati Christianae, donamus ac promittimus, ut stantes, vel genua flectentes pii Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi sumant. Sessiones vero ad Mensam Domini, quia praeter ritus in omnibus per Europam Evangelicis Ecclesiis vulgo consuetos illi inter nos primi authores extiterunt, qui omnia temere in Ecclesia immutantes, & sine scientia Christum quasi imitantes a nobis ad Arrianismum, perfidi transfugae facti sunt: Quare hanc propriam ipsis (ut Christum ita & Sacra ejus irreverenter tractantibus) & tanquam minus honestam ac religiosam, simplicioribusque admodum scandalosam Ceremoniam rejicimus.

V.

An aegrotis, mortemque subituris Sacra Coena sit exhibenda? Ita conclusum; Debere omnes Pastores docere & assuefacere auditores suos, ut quotiescunque Mensa Domini pro omnibus Fidelibus in communi coetu apparatur, ad eam singuli accedere non negligant; adeoque nullas dilationes facientes

nec

nec ultimum vitae punctum expectantes, ſed corpore & animo ſani ſint ſemper, ſecundum mandatum Domini Jeſu, parati, ac uſu Miniſterii ejus, in ſpe vitae aeternae confirmati. Tamen & in ea re, ut conſcientiis hominum non dominemur, juſtis de cauſis, id petenti aegroto, qui mentis & rationis compos ſit, non eſt denegandum; Verum diligenter & prudentiſſime explorata ac erudita ipſius conſcientia: & quatenus id pro circumſtantia loci atque temporis fieri poteſt, aliquot Fidelium collectis & una cum aegroto participantibus.

VI.

Conſtitutum eſt, ut nullus Patronus recipiat ac in Eccleſia docere patiatur ullum Miniſtrum, niſi qui eſſet a Superattendentibus ac Senioribus noſtrarum Eccleſiarum, legitime ordinatus ac miſſus, bonumque & certum teſtimonium ab iis haberet.

VII.

Siquidem unio facta eſt inter Nos, Helveticae, Auguſtanae & Bohemicae Confeſſioni addictos, liberum erit Eccleſiae ſeu Patronis coetus unius Confeſſionis, juſtis de cauſis, ac bono ordine, a Superattendentibus alterius Confeſſionis, Miniſtrum petere ac ad ſe vocare.

VIII.

Conſonum eſt votum omnium, & res judicatur ad aedificationem Eccleſiae inprimis neceſſaria, ut aliquam generalem Scholam in Polonia habeamus communi largitate Dominorum Patronorum conſtitu-

tam;

tam: Quod quidem se effecturos, Domini prompte promiserunt, ex propriis bonis, ad minimum a singulis rusticis suis singulos florenos conferre pollicentes.


IX.

Decimas caeteraque Bona templis dicata, Domini Patroni debent Deo, Ministris & usibus Ecclesiae fideliter reddere: si conscientia & fama bona, in Domo Domini, frui volunt.

X.


Sancitum est, ut Domini in suis ditionibus, diebus Dominicis prohibeant Nundinas annuas & septimanales; Item, conventicula in tabernis, compotationes, alearum, chartarum, & similes varios lusus: concentus, musicorum instrumentorum usum, atque choreas &c. Praesertim vero eo temporis momento, quo Concio & cultus Divinus in templo peragitur.

Paulus Gilovius, Superattendens Confessionis Helveticae in Districtu Cracoviens.
Erasmus Gliczнerus, Superattendens Ecclesiae Confessionis Augustanae in majori Polonia.
Joannes Laurentius, Superattendens Fratrum Confessionis Bohemicae in Polonia.



Psal. CXXXVIII.

Domine! in seculum misericors, opem manuum tuarum ne deseras.



ACTA
ET CONCLUSIONES SYNODI GENERALIS
TORUNIENSIS,
ANNO DOMINI M. D. LXXXXV.
MENSE AUGUSTO.

MICHEAE IV. Vers. V.

Omnes populi ambulabunt, quisque in nomine Dei ſui: nos autem ambulabimus in nomine Jehovae Dei noſtri in ſeculum & in aeternum.

TORUNIENSIS
SYNODI GENERALIS
ACTA ET CONCLUSIONES.

Anno Domini M. D. XCV. die XXI. Auguſti, in nomine Domini celebrata eſt Generalis Synodus Evangelicorum, Torunii, ad quam maxima frequentia ex omnibus ampliſſimi Poloniae Regni Provinciis convenere cujusvis ordinis, ſtatus & dignitatis viri chriſtiani, Senatores Regni, Officiarii, Equites, Cives, Superattendentes, Seniores, & Miniſtri Eccleſiarum Chriſti. Praeterea multae inſignes legationes hinc inde ad eandem Synodum miſſae, cum

cum literis & commendatione fraterni amoris, nec non promptitudinis animi in recipiendis & amplectendis iis omnibus, quae in hac generali Synodo ex verbo Dei, juxta priorum Synodorum Decreta concordibus ſuffragiis ſancita eſſent. Quarum hae praecipue fuere.

Prima ex magno Ducatu Lithuaniae a Synodo Vilnenſi, cum ſubſcriptione multorum Magnatum ſolenniter adornata, & Legatis viris lectiſſimis tam Miniſtris, quam Secularibus commiſſa.

Altera ab Illuſtro Domino Conſtantino Duce ab Oſtrog, Palatino Kiovienſi, Graecae Religioni addicto, officia amicitiae Eccleſiis Evangelicis offerente, & cum iis nomine, ſuo ac ſuorum, conjunctionem in vera Religione expetente, ſatis honorifice miſſa, & per Legatum praeſentem Dominum Caſparum Luſzkovium expedita.

Tertia a nobilitate Ruſſiae, Voliniae aliarumque Provinciarum, quae Graecam Religionem & ritus amplectuntur.

Quarta ab Evangelicis Palatinatus Ruſſiae, ex Synodo particulari Prochnicenſi miſſa.

Quinta a Palatinatu Sendomiriae ex Synodo, item Diſtrictuali Ivaniſcenſi inſtituta, ſimul etiam ex Diſtrictu Chencinenſi Legati, cum Politici, tum Eccleſiaſtici, viri praeſtantes advenere.

Sexta ex Diſtrictu Zatorienſi & Oſviecimenſi, a Superattendente loci & praecipuis Patronis miſſa.

Septima ab Illuſtri & Magnifico Domino Stanislao Goſtomski de Lezenice Palatino Ravenſi, Capitaneo Radomienſi.

Octava ab Illuſtri & Magnifico Domino Chriſtophoro Zenovicio, Palatino Bereſtenſi in Lithuania.

Nona ab Illuſtri & Magnifico Domino Nicolao Monuid, Palatino Polocenſi.

Decima ab Illuſtri & Magnifico Domino Alexandro Prunski, Caſtellano Trocenſi.

Undecima a Magnifico Domino Nicolao Comite ab Oſtrorog ex Ruſſia. Aderant & ex Civitatibus Boruſſiae Viri ſpectabiles, & aliorum praeſtantium virorum, quos fama iſtius Synodi accenderat, numerus ingens.

Duravit haec Synodus, dies ſex, nimirum a XXI. Auguſti uſque ad XXVII. ejusdem menſis. Ubi primum, invocato Spiritus Sancti Auxilio, quotidie, mane, in templo D. Virginis preces publicae cum jejunio, atque conciones & exhortationes ad amorem Chriſti & ſanctam concordiam ac pietatem, a primariis Miniſtris ſunt habitae.

Ac prima quidem Die, id eſt, XXI. Auguſti, cum nondum omnes, praeſertim quibus iter longum erat perficiendum, in civitatem adveniſſent, coactis Dominis Patronis & Miniſtris in templum, actum fuit de deligendis hujus frequentiſſimae Synodi Praeſidibus, qui eam ita moderarentur, ut omnia graviter, ordine, honeſte, & ſine ulla confuſione fierent. Ac communi omnium ſuffragio Directores Synodi nominati ſunt, ex politicis Magnificus Dominus Swientos-

toslaus Orzelski ab Orle, Capitaneus Radziejoviensis, & Magnificus Dominus Andrens Rzeczycki, Succamerarius Lublinensis. Ex Ecclesiasticis autem regimen & ordinis cura incumbebat Seperattendendentibus primariis, Domino Erasmo Glicznero, Domino Simeoni Th. Turnovio, Domino Francisco Jezierscio. Ibidem etiam electus est in Notarium Synodi publicum Daniel Mikolajewski, orthodoxae Radziejoviensis Ecclesiae Pastor, cui ex Politicis adjunctus est Dominus Christophorus Pawlowski. Horum munus erat, literas aperire, legere, respondere, Acta Synodi ordine excipere, ac in omnibus, Dominis Directoribus praesto esse.

Sequente die XXII. Augusti, a concione & precibus, exceptae sunt & auditae Legationes ex variis Regni Provinciis: ubi etiam Legatus Sacrae Regiae Majestatis, Magnificus Dominus Stanislaus Bykowski, Castellanus Lenciciensis, & una cum eo alii auditi fuere.

Postea propositio Synodi bipartita, clare in templo a Magnifico Domino Directore proposita fuit: Agendum nimirum nobis, divino favente Numine, de duobus, I. De Consensu in Ecclesiis nostris renovando, stabiliendo & confirmando: Nec non de disciplina Ecclesiastica restauranda, scandalis, si quae sunt extirpandis. II. De oppressionibus, injuriis, & contumeliis, quibus Ecclesia Dei in hoc Regno, nuper, quorundam extraneorum opera, gravissime divexari coepit, ubi & quomodo liberatio ab iis nobis petenda & postulanda esset? Haec fuit propositio.

Et coeptum est hoc die aliquid agi de priore ejus parte, ac praelectus est publice Consensus Sendomiriensis, una cum aliarum Synodorum decretis.

Die XXIII. Augusti, reliquae Provinciarum Legationes auditae; Magnifico Domino Castellano Lenciciensi responsum datum. Ad haec Reverendissimi Domini Episcopi Cujaviensis, ex tractatu Dobrzynensi & Pomeraniensi: &c ex Palatinatu Plocensi Legati, tum admissi auditique, tum cum sufficienti responso dimissi sunt. D. in examen institutum fuit in eos, qui consensum nostrum violare aut ei refragari viderentur, & ordine Ministri circiter septuaginta, Suffragia sua de Confessionibus & Consensu Sendomiriensi liberrime proposuerunt, & concluserunt: tres Fidei Confessiones, Augustanam, Bohemicam & Helveticam, in primariis doctrinae capitibus: de Sacra Scriptura, de Deo vero, de Persona Filii Dei θεανθρώπου, de Providentia Dei, de Peccato, de Libero arbitrio, de Lege, de Evangelio, de Justificatione per Christum, de Fide, de Regeneratione, de Ecclesia Catholica ejusque unico & supremo capite Christo, de Sacramentis eorumque numero, fine & usu, de statu animarum post mortem, de Resurrectione & vita aeterna convenire. In reliquis autem, in quibus discrepare illae videntur, praesertim in Articulo de Coena Domini, nobis Consensum Sendomiriensem medicinam afferre, nosque invicem nobiscum conglutinare, ac ab omnibus haereticis, sectariis, & blasphemis idololatris, Orthodoxam & Apostolicam Fidem adulterantibus, sejungere. Ibidem etiam actum est de conservanda & tuenda puritate doctrinae de Deo, ejus essentia

tia & perſonis, propter eos, qui a voce Trinitatis abhorrent: & decretum, ut, qui ea voce uti nollent, tanquam de fide ſuſpecti, ex coetu noſtro Evangelico, excludantur.

Die xxiv. quae fuit Divo Bartholomaeo ſacra (& ob proditoriam illam ac nefandam Lanienam Pariſienſem, in nuptiis Regis Navarrei, hoc die Anno Domini M. D. LXXII. a Pontificiis perpetratam, valde eſt memorabilis) poſt abſoluta Divina Officia, partim actum fuit, publice & privatim, cum eo, qui Conſenſui reclamabat, & concordiam cum caeteris Eccleſiis fovere nolebat: partim conſultabatur de diſciplina reſtauranda, de ordine bono & honeſto in Eccleſiis, de refrenanda quorundum vita inhoneſta, de Miniſtris erronibus non recipiendis, nec admittendis: & de excommunicandis iis, qui Conſenſui ſubſcribere nollent. Caeptae etiam ſunt praelegi hoc die Concluſiones Synodicae, & ab omnibus libere examinatae, & alia ad bonum Eccleſiae Regimen ſpectantia uſque ad Veſperam tractata ſunt.

Die xxv. Auguſti, quod reſtabat ex prima propoſitione, de Conſenſu, ordine Eccleſiaſtico, & coërcendis turbatoribus Eccleſiarum, ante meridiem, abſolutum fuit.

Poſtea ad alteram propoſitionem tranſitione facta, varii ex omnibus Regni partibus & Provinciis, varias injurias, contumelias, oppreſſiones, & moleſtias, quas Religionis Chriſtianae cauſa paterentur, coram expoſuerunt, & de iis conqueſti ſunt. Ac repertae ſunt circiter quadraginta notoriae injuriae,

quae passim, cum publice, tum privatim, cum Nobilibus, tum Ministris, Civibus, & Plebejis quibusvis potissimum a Clero Pontificio, & ei adhaerentibus ac temere morem gerentibus, contra omne Jus & aequum, contra libertates patrias, & contra Confoederationem, communi omnium Regni ordinum approbatione sancitam receptamque, & Sacrae Regiae Majest. Clementissimi Domini nostri juramento confirmatam, impune inferrentur.

Tandem post longam illam injuriarum, despectuum & violentiarum, non sine magna omnium commiseratione & afflictae sortis Ecclesiae deploratione, factam enumerationem, unanimi Ministrorum & Patronorum sententia, haec proposita & comprobata sunt: in his ipsis angustiis & doloribus multis, etiam per Dei gratiam restare, quae nos consolentur & erigant.

Veluti primum veritatis Evangelicae & salutis nostrae in Christo certitudinem, quae inde quoque evincitur, quod propter eum a mundo, cui semper veritas peregrina est, & qui Deo ejusque Verbo ubique resistere solet; persecutionem patiamur, juxta praedictionem Christi Domini: Eritis exosi omnibus propter nomen meum. Matth. x. Versu xxii.

Deinde, esse nobis solatio patientiam, per quam possidemus animas nostras, Lucae xxi. Versu xix. & modestiam, quae vel ipsis hostibus innotescat, eosque ad moderatiora consilia flectat. Necesse igitur esse, nos adversariis judicio Dei commissis, patientia ad victoriam contendere, eo quod dicat Dominus, eum demum servatum iri, qui sustinuerit usque

que ad finem. Et ſcitum memoriaque dignum eſſe illud Lactantii: Defendenda Religio eſt, non occidendo, ſed moriendo, non ſaevitia, ſed patientia, non ſcelere, ſed Fide; illa enim bonorum ſunt, haec malorum. Lib. V. de. Juſtitia cap. XIX. Tertio, nondum nos (Deo ſit gratia) ſub Sereniſſimorum Regum noſtrorum hactenus juſto & clementi regimine, eo eſſe redactos, ut ab adverſariis nullo negotio opprimi, ac omnibus libertatibus per vim exui poſſimus: ſed reſtare ſpem bonam de aequitate & prudentia Sereniſſimi Regis noſtri, & de mutua benevolentia gentilium noſtrorum, diverſam Religionem Romanam ſequentium, Gallicasque Lanienas exhorreſcentium: ſi modo iis iſta principia mala, & gravamina, quae jam patimur, liquido innoteſcant, ut ſub noſtra oppreſſione ſuarum etiam libertatum everſionem, & pacis publicae amiſſionem, latere & periclitari ſentiant. Praeterea eſſe in omnibus Regni Provinciis, Ducatibus, Palatinatibus, & Civitatibus, multo plures quam vulgo exiſtimatur, veros Chriſtianos, quos non pudet Evangelii Chriſti, quorum Confeſſione, conſtantia, Zelo, & in aſſerenda veritate invicta promptitudine, nos animari & excitari par ſit, ut non quaſi perſecutionum procella, nos a Veritate in transverſum rapi ſinamus, ſed armati Fide, ac nova vita exornati, conjunctis animis, gloriam Dei promoveamus, Eccleſiae aedificationi incumbamus, & in Orationibus, Jejuniis, & placando irato Deo, ſimus aſſidui. Poſtremo, ab ipſo etiam jure communi, & libertatibus, quibus Dei Dono, aeque ut adverſarii noſtri gaudemus, modum nobis ex his immenſis malis evadendi monſtrari & porrigi, ut nimirum Sacrae Re-

giae Majeſtatis, quae inter Diſſidentes de Religione pacem ſe velle tueri, & ab omni oppreſſione quosvis immunes praeſtare, jure jurando adſtrinxit, auxilium humillime imploremus, & defenſionem, expoſitis tam gravibus, & pene intolerabilibus injuriis, obnixe petamus. Imo & Fratribus Sanguinis noſtri, inter quos plurimi ſunt candidi, conſcientiae bonae, & pacis ac publicae tranquillitatis amantes, idem in publicis Regni Conventibus exponamus, nosque ipſorum Suffragiis, & opera contra ſanguinolenta Cleri, praeſertim externorum hominum conſilia, adjuvari petamus. Cumprimis autem a Domino noſtro Jeſu Chriſto, cujus veritas in noſtris perſonis oppugnatur, ut Eccleſiam ſuam ſervet, errores reprimat, & cauſam ſuam potenter judicet, ſupplicibus votis expoſcendum, & orandum, ut nos cuſtodiat, donec ex hac militia, in portum aeternae quietis, transferamur.


Tandem XXVI. Auguſti, primum omnium infra ſcripti Canones Synodi Torunienſis, publice lecti, correcti, & omnium calculis, nemine refragante, recepti & confirmati ſunt. Deinde delecti Legati, tum ad ſacram regiam, Majeſtatem, tum ad alia loca, & Illuſtres Perſonae, ad futuros Conventus Regni & magni Ducatus, & reſponſa data, ad literas eorum, qui Legationem ad Synodum inſtituerant.

Tertio, delecti etiam ſunt Seniores Generales Politici Eccleſiarum Orthodoxarum, ad quos ea, quae ad bonum & pacem Eccleſiae procurandam faciunt, inprimis referuntur, & ab iisdem cum Superattendentibus, de neceſſitate, tempore & loco Synodorum Generalium, deliberaretur & ſtatueretur.

No-

His abſolutis & concluſione Synodi facta a Superattendente Domino Simeone, Magnificis Dominis Patronis, & toti Nobilium ordini, pro hoc labore Eccleſiae impenſo, ſunt actae gratiae, cum ſeria admonitiooe & obteſtatione ad amorem fraternum, ad pietatem, & diſciplinae ſanctae omniumque jam recte conſtitutorum, & authoritate Synodorum approbatorum obſervationem, tam Miniſtris quam Patronis coram ſevero Dei judicio rationem reddituris, neceſſariam. Deinde viciſſim Domini Patroni, Spectabili Senatui & Civibus Torunienſibus, pro conceſſis hoſpitiis & Templo honorifice, per Magnificum Dominum Directorem, gratiam habuerunt.

Et poſtremo admonitione ad preces, & gratitudinem erga Deum pro tanto beneficio, quo nos in hac Synodo afficere, & omnia ad optatum finem, pro nominis ſui gloria, deducere dignatus eſt, a Domino Franciſco Jezierſcio in Auditorio, & a Domino Eraſmo Gliczneró in Templo praemiſſa, ab omnibus de hinc primo decantatus eſt Pſalmus LXXXIV. *Quam dilecta tua tabernacula Domine!* deinde Canticum illud Ambroſii: *Te Deum laudamus.* Atque ita propitio Deo noſtro Colophon huic Generali & ampliſſimae Synodo Torunienſi, feliciter, cum magna omnium piorum laetitia, eſt impoſitus.





TORUNIENSIS SYNODI GENERALIS *ANNO DOMINI M. D. XCV.* DIE XXI. AUGUSTI CELEBRATAE CANONES.

I.

Consensum nostrum Evangelicum, Sendomiriae Anno Domini M. D LXX. institutum, & eodem Anno Consignatione Posnaniensi illustratum, ac postea Generalibus Synodis, Cracoviensi, Petricoviensi, & Wlodislaviensi auctum stabilitumque, prout iste exemplari Torunii latine & polonice, Anno Domini M. D. LXXXXII. excuso continetur, universi, hac nostra Generali Toruniensi Synodo comprobamus confirmamusque, & contra adversarios, qui tam verbis, quam scriptis hactenus discordiam & fictum Consensum nobis Evangelicis objectare ausi sunt, hunc verum Consensum sincere nos amplecti & fovere, atque secundum eum in sancta concordia vere conjunctos esse, protestamur.

II.

Quilibet Minister Evangelicus in Regno Poloniae, & magno Ducatu Lithuaniae ac caeteris Provinciis adjunctis, tenebitur, hunc Consensum (cui hoc quoque Synodi Toruniensis Canones incorporamus) non tan-

tantum habere & legere, ſed etiam ex praeſcripto illius, & Canonum in eo expreſſorum, tum ipſe agere, tum Coetum ſibi comiſſum gubernare.

III.

In Synodis particularibus, & coetibus frequentibus, quales ſolent haberi in feriis Paſchalibus, aut alio quovis ad id accomodato tempore, ad minimum ſemel quotannis libellus iſte Conſenſus, cum Synodis Generalibus in eo contentis, praelegatur, & juxta illum examen Fratrum & membrorum Eccleſiae Dei inſtituatur; quique aliqua in re deliquiſſe deprehenſi fuerint, corrigantur, & in reos fiat executio diſciplinae.

IV.

Nullus Superattendens, aut Senior quenquam ad Miniſtrum & munus paſtorale mittere, aut Patronus quisquam, ſive Coetus noſter, pro Miniſtro recipere audeat, niſi eum, qui ſit rite ordinatus, & certum habeat teſtimonium, conſenſuique ſubſcribat, & ſecundum eum ſeſe gerat.

V.

Quilibet Superattendens, ſive etiam Senior Diſtrictus, habeat librum Conſenſus ad id paratum, in quo & ipſe nomen ſuum propria manu adſcribat, & omnes Miniſtros ad inſpectionem ſuam pertinentes, ſubſcriptos habeat. Quod quidem illico poſt hanc Synodum facere debent, & impoſterum ſemper in miſſione Miniſtrorum idem obſervabunt,

VI.

Articulum octavum Conſignationis Poſnanienſis ad executionem deducendo, ita conſtituimus, ut tres Su-

Superattendentes, tempore & loco alternatim indicto, quotannis una cum primario Seniore Magni Ducatus Lithuaniae in unum conveniant, propter communicanda consilia de negotiis Ecclesiae Dei. Tum etiam juxta Veterum consuetudinem tenentur Comitiis interesse, aut saltem aliquem in locum suum cum instructione mittere, propter conferendas sententias de rebus necessariis, & propter indictiones Generalis Synodi, una cum primariis Dominis Patronis, prout res postulaverit.



DE
DISCIPLINA.
VII.

Contra pertinaces Legis Divinae, decretorumque verbi ejus, & omnium Canonum Synodorum nostrarum generalium, in libro Consensus contentarum, transgressores, hujusmodi disciplina, a Majoribus nostris, in Generali Cracoviensi Synodo instituta est: ut Minister, & munere Ministerii, & loco privetur; Patronus vero, ut Ministro multetur, & contra ejusmodi excommunicatio vibretur. Hujus tamen sanctae disciplinae ordinem juxta doctrinam Filii Dei & Apostolorum ejus, ita illustramus.

Primum, ut quicunque in doctrina Evangelii Dei, nobiscum non consentiat, & qui idololatriam aut haeresin amplectatur, denique, qui concordiam nostram

ſtram dirimat, neque Conſenſum nobiſcum retinere velit, poenam ſuperius deſcriptam, ſine ulla delatione, re ipſa ſuſtineat,

Qui vero in vita ſua committat peccata a Deo prohibita, quae ſunt ſpecifice enumerata in Conſignatione Poſnanienſi, articulo X. & in Cracovienſi Synodo, quibusdam in locis, item in Wlodislavienſi, articulo VII. is, poſt unam & alteram admonitionem & reprehenſionem, ab uſu Sacramenti arceatur: quod ſi non reſipuerit, publice in ſuo Coetu excommunicetur. Miniſter, qui officio ſuo, juxta Canones Synodales, aliqua in re non defungatur, aut diſciplinam non exerceat, ac multo magis, ſi offendiculum aliquod praebeat, poſt unam & alteram admonitionem, a Superattendente & Senioribus ab officio, uſque ad Synodum Diſtrictualem, ſuſpendatur. Patronus ſive auditor, ſi ſit vitiis deditus, & officio ſuo in Canonibus Synodalibus deſcripto deſit, poſt admonitionem Miniſtri & Seniorum ſecularium, ab uſu Coenae Dominicae removeatur, quousque in Synodo Diſtrictus ſui reddet rationem.

Quicunque vero Sacra Communione, & uſu Coenae Dominicae, ſine juſtis cauſis, & ſententia Miniſtri ſui non requiſita, abſtineat, poſt tertiam, aut ſane per decurſum unius anni, Sacrae Communionis neglectionem, publice in Coetu, aut in Synodo, juxta modum conſuetum diſciplinae ſacrae, excommunicetur. Eidem poenae ſubjaceant, qui Coetus ſacros, audiendi Verbi Dei gratia cogi ſolitos, prorſus negligunt.

Item

Item: quicunque contra articulos praeteritarum Synodorum, filios suos in ſcholas & Academias Arrianicas, & alias, in quibus ſincera Evangelii Domini doctrina non traditur, tam intra, quam extra Regnum, mittat, publice a Coenae Dominicae uſu & communione Eccleſiae Dei excludatur. Et ſi quis nunc in iis ſcholis liberos ſuos habet, intra duodecim ſeptimanas ab hac Synodo Torunienſi, eos inde abducere debet, idque ſub poena nominata. Libros itidem Arrianorum, nemo ex Fratribus noſtris, citra conſenſum Miniſtri, in aede recipere, aut Lectioni eorum occupare debet. Ad extremum, quicunque in Eccleſiis noſtris Evangelicis, noluerit uti voce iſta, *Sancta Trinitas*, eum tanquam ſuſpectum, quod non ſit recte fundatus, in Fide de Deo Patre, Filio & Spiritu Sancto, e Coetu noſtro excludimus.

In his ergo omnibus diſciplinae gradibus inhaerentes prioribus Synodis, Superattendentum, Seniorum, Patronorum & Miniſtrorum fidem & conſcientiam obligamus, ut hanc ſanctam Diſciplinam, ex officio ſuo, re ipſa, exequantur; veriti, ne & ipſi tum cenſuras Eccleſiaſticas, tum vero horrendas judicii Divini poenas incurrant.

Summatim autem de Diſciplina hanc concluſionem facimus: Si quis reperiatur, qui contra officia Chriſtianitatis ſuae peccet, aut negligens & remiſſus, tam in vocatione ſua, quam in Diſciplina exequenda deprehendatur: tunc, ut contra auditorem ſuum Miniſter, ita contra Miniſtrum Superattendens cum Senioribus, ex Diſciplina, juxta Canones Synodales aget. Interim in gravioribus negotiis, ſalva cuique manebit pro-

provocatio ad Synodum diſtrictualem. Superattendens autem, Seniores & Patroni, in Synodo diſtrictus (citati a Delatore duabus ad minimum ante Synodum ſeptimanis) ut de crimine, ita de neglectu officii & executionis diſciplinae, juſtificare ſe & diſciplinae ipſi quoque ſubjacere debebunt.

VIII.

Declarando decimum tertium Conſignationis Articulum ſic ſentimus: Oviculas Chriſti, nullius Miniſtri Dominio & jugo ita ſubjici debere, ut juſtis intercedentibus cauſis & circumſtantiis, non liceat ipſis alterius Coetus ex ordinis Miniſtrorum opera uti: verbi gratia, ratione habita circumſtantiae loci & propinquitatis templi, & in ſimilibus occaſionibus, aequisque rationibus & cauſis. Quodſi vero aliqui auditores ſcandala excitantes, & impie viventes, offenſi diſciplina & reprehenſione proprii Paſtoris, majoris licentiae & impunitatis peccandi cauſa, curae ſe committere velint, hujusmodi nulla ratione alterius Coetus Miniſter recipere debet, praeſertim, ſi ea de re, a proprio illarum ovium Miniſtro admoneatur. Porro, in talibus negotiis neceſſaria ſunt Miniſtrorum colloquia, & ſincerae de de his conſiliorum communicationes.

IX.

Nullus Miniſter & Senior Spiritualis, adoleſcentes, alumnos, & perſonas qualescunque promotas a Miniſtris aliorum Coetuum, ad ſe recipiat, praeterquam ſi honeſtae ſuae dimiſſionis & libertatis, a propriis Miniſtris teſtimonium & literas fide di-

gnas habeant & oſtendant. Qui ſecus facit, ipſo facto, poena in Cracovienſi Synodo expreſſa tenebitur. Tali enim transfugarum receptione, everteretur Diſciplina & bona educatio, ac probatio juvenibus & inexploratis hominibus admodum neceſſaria, quam plerumque improbi & impii alumni declinare, & coram ea fugere ſolent.

X.

In indictione Generalium Synodorum, non videtur aequum, ut ſemper omnium Superattendentium ſubſcriptiones requirantur, praeſertim, ſi qui, negligentes officium ſuum, nobiscum, Conventibus Regni publicis non interſint, nec quenquam in locum mittant, cum ad extremum hac de re certiores facti, rem ſilentio involvant. Tales enim in eo paſſu ſuffragium ſuum ammittunt; Idem judicandum, ſi quis Superattendentium, aliqua in re conſcius ſibi ſit criminis, & cognitionem Synodi metuat: Is enim procul dubio nunquam in Generalem Synodum conſentiret; adeoque ea nunquam a nobis celebrari poſſet. Atque haec eſt Declaratio Articuli Wlodislavienſis octavi.

XI.

DE SCHOLIS.

Una Schola Generalis debet conſtitui in meditullio Regni, in loco apto. In Diſtrictibus quoque prout primariis, ita & particularibus ſcholis, a Coetibus diligenter provideri debet.

XII.

XII.

Collecta ad fovendas Scholas secundum Petricoviensis Synodi Canonem VIII. item Wlodislaviensis Synodi Canonem X., ab omnibus Patronis ex propria ipsorum arca, pro conscientia cujusque, conferatur: ut dent a singulis rusticis, agrum excolentibus, singulos florenos, qualescunque fundos habuerint: ab aulicis autem & conductorum agricolarum aratris in duplo, videlicet florenos binos, eamque pecuniam intra tempus, quod ad calendas Januarii anni sequentis intercedit, reddant singuli collectoribus, ad id in Districtibus deputatis. Haec autem pecunia debet asservari in certo loco proprii districtus, ita ut aliquod ex ea emolumentum cedat, communiter constitutum fuerit. Illud autem converti debet, primum ad generalem scholam, deinde ad particulares, quae aliunde provisionem habere nequeunt, & ad alias necessitates Dei. Ratio autem hujus Collectae reddi debet in Synodo Districtuali. Quod si quis absentium, hanc collectam dare renuat: Domini Seniores & Ministri quilibet, suas oviculas, ad hoc officium gloriae Dei & aedificationi Ecclesiae admodum utile, hortari & incitare tenebuntur.

XIII.

Dominorum Seniorum Secularium hoc quoque est munus & proprium officium ut inter Fratres, negotia & facta devia, exhortationibus suis refrenent ad ordinem rectum in omni re bona, & ad pietatem deducant, & inserviant; jurgiis & litibus obviam eant, dissidia & controversias inter Fratres

dijudicent, & componant; ac pro viribus pacem & charitatem inter domeſticos Fidei foveant, in id incumbentes, ut quilibet Frater Chriſtianus primum Deo, deinde & proximo, in omnibus officium debitum praeſtet: & quantum fieri poteſt, ne per citationes ad jus & ſubſellia judiciorum mundanorum, prodeat, juxta apertum hac de re Spiritus Sancti decretum *1. Cor. VI. Verſ. I.* Quodſi vero intercedentibus cauſis inevitabilibus, ad citationes & proceſſum juris, alicui ex Fratribus, potiſſimum autem miſeris Orphanis, res devenerit, proprium eſt D. Seniorum, talibus conſilium ſuppeditare, & modum monſtrare, ut quam rectiſſime hujusmodi actiones, ſine conſcientiae vulnere, & damno ac jactura ſua, poſſint expedire.

XIV.

Debent etiam Domini Seniores Seculares diligenter intueri, quomodo ſe quisque in officio & vocatione ſua Chriſtiana gerat, & delinquentem ac etiam poſt unam & alteram admonitionem obſtinatum Fratrem deferre ad Paſtorem, ut ſuper eum rigor diſciplinae extendatur: peculiariter vero, ſi deprehendatur aliquis Frater, cujuscunque ſtatus & vocationis a pecunia mutuo data pecuniam vel foenus Verbo Dei prohibitum aut uſuram (quocunque nomine appelletur) accipere, & privatus privatum depeculari. Talis, ſi aliquoties ab iis & Paſtore monitus non tamen deſiſtat, publice in Coetu, aut in Synodo excludatur. Idem ſentiendum de his, qui impudice laſcivia ſua, aut ſimili peccati genere, offendicula in Eccleſia faciunt.

XV.

XV.

Conſiderantes iſtud quam in mala & periculoſa devenerimus tempora, & quam toti Chriſtianitati, ferulae irae Divinae immineant, denique quantas Coetus fidelium Chriſti oppreſſionum & perſecutionum anguſtias ſuſtineat, animadvertimus rem apprime eſſe neceſſariam, ut iram Dei publicis precibus, cum jejuniis & maceratione corporum, in conſpectu Domini, concorditer omnes, in omnibus noſtris Eccleſiis Evangelicis, temporibus & diebus certis, placare ſtudeamus. Ut vero ad hanc rem nova non quaeramus tempora, dies conſuetos, quos vulgo Angaria vocant, hujusmodi jejuniis & precibus, quater in anno dicamus. Interea tamen aliis quoque quam creberrimis jejuniis, tam publicis Eccleſiarum, quam privatis quorumvis fidelium, viam praecluſam nolumus, quin potius ad ea exhortamur, & incitamus.

XVI.

Domini Patroni, praecipue autem Seniores, ſedulam operam dabunt, ut Sacrae Aedes ſeu Templa, in quibus cultus divinus peragitur, non deſolentur, ſed diligenter reſtaurentur, & accurate ornentur, citra tamen ejusmodi ornatum, qui ullam idololatriae ſpeciem reſipiat, aut prae ſe ferat.


XVIII.

Domini Patroni in quolibet Coetu, in duas partes nominatim diviſi, omnes cujusque partis alternatim (relicta tamen ſingulis alterius quoque partis veniendi libertate (ad conventus neceſſarios ſiſtere ſe debent, ſub cenſura Eccleſiaſtica.

XVIII.

De Ceremoniis interea temporis Conclusiones praeteritarum Synodorum non immutamus, sed cuilibet Coetui consuetas pro libertate Christiana relinquimus: & an eae in unam eandemque formam redigi queant, ad futurae Generalis Synodi deliberationem rejicimus.

FINIS CANONUM.




1. Corinth. VI. Vers. XVI.

Quod si quis videtur contentiosus esse, nos ejusmodi consuetudinem non habemus, neque Ecclesiae Dei.

AUGUSTINUS

Tomo II. Epist. LXXXVI. ad Casulanum Presbyterum.

Sit ergo una Fides universae, quae ubique dilatatur Ecclesiae, tanquam intus in membris: etiamsi ipsa fidei unitas, quibusdam diversis observationibus, celebratur, quibus nullo modo, quod in fide verum, impeditur. Omnis enim pulchritudo filiae Regis intrinsecus. Illae autem observationes, quae variae celebrantur, in ejus veste intelliguntur, unde illa dicitur: In fimbriis aureis circumamicta varietate (Psal. XLIV.); sed ea quoque vestis ita diversis celebrationibus varietur, ut non adversis contentionibus dissipetur.



MI-



MINISTRI ECCLESIARUM,

QUI

IN SYNODO TORUNIENSI

ADERANT.

Erasmus Gliczner, Ecclesiae Dei Confessionis Augustanae in majori Polonia Superattendens, suo & suorum nomine subscripsit.

Simeon Theophil. Turnovius, Ecclesiarum orthodoxarum Confessionis Bohemicae in majori Polonia Superattendens, Praepositus Ostrorogensis, suo & Fratrum suorum nomine manu propria subscripsit.

Franciscus Sezeritius, Superattendens Ecclesiarum Confessionis Helveticae in majori Polonia, suo & suorum Fratrum nomine subscripsit manu propria.

Andreas Chrzastowski, Minister sancti Evangelii in Lithuania, consensum pium approbans, meo & Fratrum nomine subscribo.

Jacobus Popowski, Minister sancti Evangelii, consensum pium approbans, meo & Fratrum in Lithuaniae Coetibus nomine subscribo.

Philippus Bochwicz, Cracoviensis Minister Verbi Dei Kogdanow. Senior Russiae albae, ab Ecclesiis Lithuanicis Legatus manu propria subscribo.

Matthias Bancovius, Minister Verbi Dei Sercienensis, Senior Districtus Novogrodensis, manu propria subscribo.

Joannes Lucinius, Miniſter Chlebovicenſis Senior Transvelienſis, ab Eccleſiis Lithuanicis Legatus, manu propria.

Stanislaus Minuidius, Miniſter Chriſti Neapol. Upithae, ex Lithuania Legatus, manu propria.

Georgius Piotkowski, Paſtor Eccleſiae Wizanenſis in Lithuania, manu propria ſubſcribo.

Nicolaus Trzcinscki, Senior Eccleſiae Podlachienſis, manu propria.

Joannes Chocimowski, Palatinatus Ruſſiae Nuncius, & Senior Spiritualis, ſuo & Fratrum ſuorum ejusdem Palatinatus nomine ſubſcripſit manu propria.

Bartholomaeus Falconius, W. S. Conſenior Diſtrictus Ruſſiae & Legatus, ſubſcripſit manu propria.

Petrus Tarnovius, Miniſter Dembnicenſis, & Senior Coetus Radzieiovienſis manu propria.

Daniel Mikolaiewski, in Eccleſia Radzieiovienſi Conſenior & Verbi Dei Miniſter, Synodi Generalis Notarius publicus ſubſcribo.

Joannes Girck, Paſtor Eccleſiae Leſnenſis.
Chriſtophorus Muſonius, Praepoſitus Eccleſiae Coſmienſis.
Matthias Rybinius Eccleſiae Poſnanienſis Miniſter.
Andreas Colenſis, Eccleſiae Goluchovienſis Miniſter.
} Seniores Eccleſiarum Confeſſionis Bohemicae, in majori Polonia, &c.

Petrus Dresnenſis, Senior Dioeceſeos Pogorcelienſis, ſuo & Fratrum nomine ſubſcripſit manu propria.

Lau-

Laurentius Karsnicius, Uſtenſis, Senior Dioeceſis Poſnanienſi. Confeſſionis Auguſtanae, Miniſter in Gnin, ſuo & Fratrum nomine ſubſcripſit.

Gregorius Zarnovecius, Miniſter Vloſczevienſis, Legatus Diſtrictus Chencinenſis.

Martinus Janicius, Smilovitanus Verbi Dei Miniſter in Zaleſie, Conſenior Diſtrictus Chencinenſis, ſuo & caeterorum Fratrum nomine.

Franciſcus Stancarus, Eccleſiae Dei, quae eſt in Vlodislav Paſtor, Legatus Tractus Chencinenſis.

Franciſcus P. J Seceminius Chmielnicenſis & Sedzieiovienſis Eccleſiae Miniſter, Legatus miſſus ex Diſtrictu Chencinenſi, manu propria ſubſcripſit.

Joannes Duſcovius, Legatus Diſtrictus Sendomirienſis manu propria.

Joannes Staſlovius, Legatus Diſtrictus Sendomirienſis manu propria.

Chriſtophorus Krainski, Eccleſiaſtes Lublinenſis, Legatus Diſtrictus ejusdem, manu propria.

Joannes Cluentius, Coetus Rzecicenſis Miniſter, Diſtrictus Lublinenſis Nuncius, ſubſcribo manu propria.

Joannes Praetorius, Miniſter Corſenſis, Legatus Eccleſiarum, quae ſunt in Diſtrictu Zatorienſi Oſviecinenſi, ſuo & aliorum Fratrum nomine,

Albertus Myslovius, Jeſu Chriſti Miniſter, Paſtor in Krylow, Confeſſionis Helveticae, ſubſcripſit manu propria.

Stanislaus a Grozno, Minifter Chrifti in Chomftowo, in Diftrictu Keinenfi, Confeffionis Helveticae, manu propria.

Clemens Agnellius, Clodavienfis, Minifter in Kofciol, manu propria.

Valentinus Curio, Halenfis, Ecclefiae Radzieiovienfis Minifter, & Scholae Moderator, manu propria.

Jacobus a Jarocin Pruski, Minifter Verbi Dei in Ludziczko, Confeffionis Helveticae, manu propria.

